Diſcerne cauſam meam de gente non ſancta ab homine iniquo, & doloſo erue me Pſalm. 42.

SERENISSIMA Iſabella Clara Eugenia Infante Hiſpaniarum glor. me. ad ſuperos tranſlata, indultum Pontificium nominandi ad beneficia conuentualia Belgij, & Burgundiæ illi ad vitam conceſsum expirauit, non multo poſt anno videlicet 1636. Vrbanus VIII. fel. rec. ad inſtantiam preceſque Illuſtriſsimi, & Excellentiſs. Marchionis de Caſtelrodrigo Regis Catholici in Vrbe oratoris, contulit in commendam, vt aiunt, ſimplicem prioratum Beatæ Mariæ de Sancto Marcello, vacantem morte Illuſtriſs. & Reuerendiſsimi Domini Ferdinandi de Rye Archiepiſcopi Biſuntini, Henrico Othenin Metropolitanæ Eccleſiæ Biſuntinæ Canonico, qui Bullis Romæ expeditis, exhibitiſque parlamento Dolano, & placet, quod vocant, ab eo impetrato executioni demandatis, ſeruatis denique omnibus de iure, & conſuetudine ſeruandis, in veram realem, & actualem illius poſseſsionem immiſsus pacificè pluſquam triennio illam retinuit.

Anno autem 1640. cum aliud indultum nominandi à Summo Pontifice conceſſum Regi Catholico ad Sereniſsimum Ferdinandum Cardinalem ab Auſtria Belgij, & Burgundiæ Gubernatorem fuiſset tranſmiſsum, contigit litis, quam agitandam ſuſcepimus, occaſio, & argumentum.

Digitized by Google

Nam Iacobus Ludouicus Mairot Romæ cõmorans, oratus a Petro Bouchier, vt vellet ipſi a Summo Pontifice impetrare prioratum des Bouchoux, vacantem per obitum Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Franciſci de Rye Sanctiſſimæ Sedi reſeruatum illud impetrauerat ſibi, Petro tam ægrè, ſe vt aiebat deluſum ferente, vt aſſeruerit illum conuentualem, comprehendique ſub indulto conceſſo Regi Catholico nec potuiſſe a quoquam Romæ obtineri, abſque eiuſdem Regis iniuria, & læſione indulti, & litis ſocium vt haberet, non minus acriter contendit, ipſum Prioratum Beatæ Mariæ de Sancto Marcello, collatum vt præfertur Henrico, ſpectaſſe ad nominationem Regis, cuius ſummo præiudicio illum a dicto Henrico Romæ obtentum poſſideri dicebat.

Quæ cum intellexiſſet Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Marchio de Caſtelrodrigo, tantaſq; inſidias iuſtitiæ parari, Dominum Boyuin Curiæ Dolanæ præſidem literis orauit, vt ius ſuum integrum, & illæſum Henrico bene de patria merito, & optimæ fidei poſſeſſori permitteret, neque ſineret iniuſtis aliorum machinationibus euerti; reſpondet præſes, neque vllas moleſtias fuiſſe Henrico illatas, neque poſſe a quoquam inferri, aut ipſum a poſſeſſione legitimè inita, & pacificè conſeruata deturbari.

Interea Petrus Bouchier, vt prioratus des Bouchoux quem anno 1641. a Rege impetrauerat faciliorem iniret poſſeſſionem, initamque fortius defenderet Marinum Boyuin filium dicti præſidijs ſummam obtinentis authoritatem in Comitatu Burgundiæ, ad dictum Prioratum Beatæ Mariæ de Sancto Marcello ipſo Præſide, & Marino eius filio inſcijs, a Rege nominari curauit: quod tamet ſi dictus Præſes falſus non ſemel fuiſſet

ſumma

Digitized by Google

ſumma Henrici legitimi Poſseſſoris iniuria factum, ſuorum tamen præcibus inductus, ſuis & filij priuatis rationibus iuſtitiam poſt habuit, & factam Marino nominationem totis viribus tueri aggreſsus eſt; & quia præcipuè intererat ad litis decifionem cognitio qualitatis, & naturæ dicti prioratus, ſimplex ne is eſset, an conuentualis. Nam ſi primum ad Sanctam Sedem ſpectabat eum conferre, ſi alterum, Regis erat ad eum nominare, atque illud certius conſtare non poſset, quam ex regiſtris publicis parlamenti Dolani, vſus authoritate quam ſummam in eo habet, illa apud ſe ſuo iuſſu delata, quo iure, qua iniuria, retinet in hodiernum diem, ne ex eorum inſpectione, verus illius ſtatus, atque inde optima Henrici prouiſio appareret.

Henricus accepta nominatione Marini ad Prioratum de Sancto Marcello, tum alijs fide dignifsimis viris, tum Regis Catholici oratoribus, non ſemel profeſſus eſt, ſe omni quod in eundem habet, iure ceſſurum, ſi vel vnum poſſet exemplum Regiæ ad eum nominationis proferri, aut aliquod ius ei ad illum competere, atque interim permiſsurum rationes ſuas, & totius litis arbitrium, Illuſtriſsimo Archiepiſcopo Mechlinienſi; quod non ſolum ipſe verbis, & literis, ſed ipſimet prætereà oratores Regij ſæpiſſimè ſignificarunt, ijs qui negotia dicti Præſidis in Vrbe curabant, ſed ille qui optimè ſciebat nullo poſſe exemplo probari Regem Catholicum vllum vnquam ad eum Prioratum nominaſſe ne dum voluit acquieſcere tam æquis poſtulatis ſed ne quidem reſpondere.

Non multò poſt idem Præſes libello ſupplici, qui etiam nunc extat, Miniſtris Belgij exhibito, promiſit Marinum filium ceſſurum omni iure in Prioratum Beatæ Mariæ de Sancto Marcello (quem ſpecie tenus mira

Digitized by Google

arte eum in finem in Regis manibus dimiſit, dummodo Maieſtas ſua ei vellet conferre Prioratum de Vaucluſa qui tunc vacabat.

Annuit Rex, Prioratum de Vaucluſa Marino contulit Marinus poſſeſſionē illius capit. ſed contrà promiſſa patris, contra fidem datam, contra ipſammet iuſtitiam, vtrumque Prioratum; & Beatæ Mariæ de Sancto Marcello, & de Vaucluſa retinet, atque in temporalibus, & ſpiritualibus abſque prouiſione Apoſtolica adminiſtrat.

Verùm enim veró cum Prioratus Beatæ Mariæ de Sancto Marcello litis huiuſce argumentum, velut membrum dependens à Monaſterio Sācti Benigni Diuionenſis iuris Patronatus Regis non exiſtat totiuſque difficultatis cardo in eo videatur verti, ſimplex ne is ſit an Conuentualis? cadat nec ne ſub indulto Regi conceſſo an vero Pontifici conferendo reſeruetur, vtrumque prius examinemus.

Conuentualem, vt vocant, non fuiſſe difficilis probationis non eſt. Nam Illuſtriſſimus Ferdinandus de Rye Archiepiſcopus Biſuntinus, quinquaginta ſeptem, atque ante ipſum Marcus de Rye plurimis annis poſſedit: vterque veró Pontificiæ collationis vigore, & cum expreſſa narratiua, quod Conuentualis non eſſet, cuique cura non immineret animarum, quadraginta autem Annorum ſpatio, firmatur beneficij ſtatus, qui talis præſumitur, qualis per 40. Annos fuit poſſeſſus *cap. cum de beneficio: & ibi notant Doctores de prebendis lib. 6. Rota deciſ.* 308. *num.* 1. *recent. Gregorius* 434. *num.* 16. *& ibi add. num.* 20. *Buratt. deciſ.* 626. *num.* 1.

Et facilius procedit, quod de iure omnia beneficia ſimplicia præſumantur *Abb. in cap. recolentes, circa* *finem*

finem de ſtatu Monacorum Bellarmea deciſ.676. Rebuff. in praxi tit. ſeculare beneficium quotuplex num. 11. *Rota deciſ.* 17. *num.* 1 *parte* 1. *diuerſ. & in Bergomen Cappellaniæ nona Decembris* 1624. *& in Girunden beneficij quarta Iulij* 1625. *coram Manſenedo Duran. deciſ.*85.*num.*2. *quin imò per ea quæ tradit Gonſales ſuper Reg.* 8. *Gloſ.* 7. *num.*8.*&* 10. *decem Anni ſufficiunt ad firmandum* beneficij ſtatum, & probandum illud non eſſe Conuentuale.

Præterea Codex qui omnium beneficiorum Burgundiæ qualitates deſcribit, & indicat quæ ſimplicia exiſtũt, quæ conuentualia, Prioratum hunc non his, ſed illis accenſet, cumque declarat ad liberam collationem Papæ ſpectare, non verò ſub Regio indulto compræhendi, verba illius inferius dabimus.

Hic autem Codex plenam facit fidem, maximè quo ad non Conuentualia; tum quia digeſtus a Conſiliario ex officio deputato, vt dicitur de Libro Viſitationis ordinarij, *Caputaq. deciſ.* 158. *part.* 2. *Rota deciſ.*11. *de iure patronatus* 2. *Februarij* 1616. *coram Vbaldo Cardinali deciſ.* 506. *num.* 1. *Rota deciſ.* 255. *num.* 4. *parte* 7. *recen.* tum quia aſſeruatus in Archiuio Parlamenti Dolani cum alijs publicis & plenæ, & ſummæ fidei Scripturis *Baldus in leg. publicati num.* 9. *cap. de teſtibus & ibi Iaſon num.* 4. *Rota deciſ.* 1. *de fide inſtrumentorum in nouis Gabriel Conſil.* 39. *num.* 6. *lib.* 1. *Felin. in cap. audientia num.* 16. *de præſcript. Romana cenſus* 127. *num.* 1. *deciſ. cum ſeq.* 146. *num.* 14. *Crauett. Conſil.* 146. *Rota deciſ.* 290. *num.* 5. *part.* 1. *& deciſ.* 254. *num.* 4. *part.* 7. *recent.*

Neque omitti debet, quod tametſi in bullis comendæ Henrico factæ, narratum fuiſſet Prioratui huic Beatæ Mariæ de Sancto Marcello animarum curam non

immi-

Digitized by Google

imminere, cumque Conuentualem non eſſe, nihilominus tamen Parlamentum Dolanum ſuum placet conceſſit, liberamque permiſit, tum bullis executionem, tum poſſeſſionem illi, neque contradicente, neque reclamante Regio procuratore, qui vtique interceſſiſſet, totiſque ſe oppoſuiſſet viribus, ſi dictus Prioratus Conuentualis fuiſſet, ſpectaſſetque ad Regiam nominationem, & quia preſumitur illum, atque alios miniſtros Regios, ipſumque Parlamentum Dolanum de ſtatu Prioratus, Regis iuribus, & iuſtitia cauſæ Henrici plenè inſtructos, pleneque ſuo munere functos fuiſſe, pariformiter præſumi poteſt veritas narratorum in Bulla Henrici, & Prioratum ſimplicem, & non Conuentualem fuiſſe *Rebuff. de mandato Apoſtolico §. & vt obuietur in Verbo, & in eius quinterno regiſtrati Rota deciſ. 636. num. 4. par. 1. recent.*

Atque hinc clarè deducitur Prioratum hunc, cum Conuentualis non exiſtat non cadere ſub indulto Regio, quod beneficia actu Conuentualia tantummodo comprahendit, ipſa accipe illius verba; quæ cum conceſſiſſent Regi facultatem nominandi ad dignitates *abbatiales, Prioratus, & præpoſituras Conuentum habentes ſubiungunt, de alijs verò ſub nominatione huiuſmodi non comprahenſis, & abſque illa liberè conferendis dignitatibus, videlicet ſæcularibus principalibus, & Regularibus actu non Conuentualibus infra præſcriptos diſtrictus conſiſtentibus, non niſi de locis ſuæ ditioni ſubiectis, aut ibi gratis, & acceptis perſonis per nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, & ſedem eandem pro tempore diſponi, & reſpectiuè prouideri minimè poſſit*, Nempè vt concludunt ſub Regia nominatione præpoſituras, & Prioratus habentes Conuentum, ita eum non habentes ab eadem excludunt, & oſtendunt clarè nihil

iuris,

iuris, nihil facultatis Regi in eorum collationibus competere. Manifeſtum inquam hoc eſt, tum ex ipſo verborum contextu, tum ex ipſa dictione, videlicet quæ reſtrictiua eſt, & declaratoria præcedentis facultatis nominandi Regi conceſſa, eamque indicat ad Prioratus actu non Conuentuales (cuiuſmodi eſt is de quo agitur) non extendi *l. in venditione ff. communi pred. Socin. Sen. Conſil. 315. num. 6. lib. 3. cum alÿs latè adductis per Grat. dict. 283. Gregorius deciſ. 186. n. 9. Rota deciſ. 26. num. 17. part. 7. recent.*

Præterea indultum concedit facultatem Regi nominandi ad dignitates abbatiales, Prioratus, & præpoſituras pro tempore vacantes, hoc eſt poſt eiuſdem indulti conceſſionem, nam dictio *pro tempore* futurum denotat, *cap. cum inter in fine, & ibidem Baldus num. 7. de ſentent. & re iudicata. Rebuff. ſuper concordat. tit. de reg. ad Prelatos nominat. in Gloſſa ſuper verbo pro tempore Rota in Virdunen. Canonicatus 17. Februarÿ 1617. coram Andrea in eius impreſſis deciſ. 100. num. 9.* vbi hoc procedere ait, etiam ſi adſint verba præteriti temporis, quando conſtitutio reſpicit futurum. at Pioratus Beatæ Mariæ de Sancto Marcello, qui controuertitur, quo tempore indultum conceſſum fuit, nempè Anno 1640. non vacabat, cum aliquot ante annos videlicet 1636. Summus Pontifex *cum contuliſſet Henrico, per eam enim collationem conſumpta erat vacatio, Rota deciſ. vltima num. 4. de reſeru. & deciſ. 24. de prabendis in antiquis Caſſad. deciſ. 4. num 4. de cauſis poſſeſſorÿs & prope. Put. deciſ. 142. num. 2. lib. 2. in correctis cap. allegat. 127. num. 6. verſus ad quintam & ibi addent. litera O franch. in capite ſtatutum num. 7. de prabendis in 6. Saram. in regulam de annali quaſt. 5. num. 21. Simonet. de reſeruat. quaſt. 55. Henricus de Falconio*

tonio de reſeruatis in 5. quaſt. principali Rota deciſ. 691. num. 5. part. 2. recent. & in Vliſponen. beneficij 19. Decembris 1622. coram Vbaldo.

Proinde cũ neque Conuentualis, neque regiæ nominationis eſſet neque compræhẽderetur ſub indulto, quin immò quando indultum conceſſum fuit; & Regi facultas nominandi indulta non vacaret, neque vllus eſſet mortalium, præter ipſummet Summum Pontificem, qui ius quodcunque in illius collatione poſſet prætendere, profectò euidenter concluditur, collationem illius Henrico factam ab eodem Pontifice validam eſſe, ipſumque omni atque optimo iure ad Henricum ſpectare.

His tamen ſic demonſtratis; intercedere conatur dictus Præſes rationibus nonnullis 2. Decembris 1642. & 8. Februarij Parlamento Dolano exhibitis: *ipſa eius verba dabimus, vt ex ore ipſius illum iudicare lector poſſit: licet inquit non diſconueniat Henricum fuiſſe prouiſum ab Apoſtolica Sede de Prioratu Beata Mariæ de Sancto Marcello, tanquam de beneficio cura, & Conuentu carente, accepiſſeque poſſeſſionem illius virtute literarum Apoſtolicarum cum beneplacito Regio; nihilominus hæc, neque eius pacifica, & pluſquam triennalis poſſeſſio poſſunt illi prodeſſe ſi Prioratus de quo agitur ſit Conuentualis.* Suam hic an noſtram cauſam exorditur? noſtrã certè quam nemo vtcumq; doctiſſimus patronus melius orare potuiſſet. Nam ſi Prioratum Henrico cõceſsit Pontifex, qui totum orbem habet pro diocæſi *cap. cuncta per mundum 9. quaſt. 3. & latè Gonſales ſuper reg. 8. § 1. proœmij num. 8. & per totum:* Si Henricus pacificus & pluſquam triennalis poſſeſſor fuit, tam ſolidum liquidumque ius competit illi, vt contra illud nemo poſsit ſine ſumma iniuſtitia, aut maxima ignorãtia pronunciare; cumque ſine ſumma iniuria poſſeſsione trien-

triennali, & pacifica depellere; contra *Reg. Cancell. 36 de triennali, Rodericus de Querada, Cochier*, *& alij ſuper dictam regulam de triennali*, Sic vt ſuffragatur poſſidenti regularem vti Sæcularis *Rota in Salamantina Parochialis de qua Marches de commiſſionibus part.* 1. *fol.* 368. *num.* 3. & in puncto quod prouiſus Apoſtolicus non teneatur quidquam iuſtificare, ſed iuuetur Regula aduerſus pretendentem ex prouiſione conuentualitatē in regulari, *Rota in Leodien. prepoſitura de Nāli* 1. *Maij* 1650. *coram Illuſtriſſimo Cerro*, vbi preter debatur prepoſitura vnita Conuentui commendato Eminentiſſimo Mazarino, & nominatus ab eo erat in poſſeſsione. Quod verum eſt etiam ſi dictus Prioratus fuiſſet illi collatus vigente indulto; *Gomes ſuper Reg. de triennali quaſt.* 9 quanto magis illum ceſſante indulto obtinuerit a Sancta Sede, ipſeque Prioratus ſimplex fuerit non Conuentualis de cuius ſimplicitate non niſi ab homine duplici corde dubitari poteſt, vt patet ex ſupra copioſè dictis, & mox patebit ex ijs quæ alijs Præſidis obiectionibus reſpondebimus.

Addit enim quia, *In illo caſu* (quo ſcilicet Prioratus eſſet Conuentualis) *Indulta Pontificia Regibus, & Principibus Burgundiæ conceſſa annullant in perpetuum omnes, & quaſcumque prouiſiones Apoſtolicas etiam cum quibuſuis clauſulis derogatorijs in eis appoſitis, prohibeātque omnibus & ſingulis, ne ijs obedientia preſtetur, nulla poſſeſſionis pacifica, & pluſquam triennalis habita ratione : & ne quis illis vti poſſit, nec ſumere poſſeſſionem virtute illarum, quæ poſſeſſio nunquam à Curia Dolana conceditur niſi cum expreſſa clauſula ſine præiudicio rationū Regis*. Perſonæ dignitas quam veneror, impedit ne ficum ficum, & Scapham Scapham appellem : potuiſſem alias ex lineis hiſce non multis, multorum errorum ſe-

getem collegiſſe, ſumma admiratione Lectoris, Authoris eorum de honeſtamento: Sed non auerſam falſitatis aſſerentem indulta Pontificia Regibus, & Principibus Burgundiæ conceſſa, annullare in perpetuum omnes & quaſcumque prouiſiones Apoſtolicas, etiam cum quibuſuis clauſulis derogatorijs in ijs appoſitis, non dicam lapſum cum ait eadem indulta prohibere omnibus, & ſingulis ne ijſdem prouiſionibus obedientiam præſtent, non peccare in veritatem dum addit nulla poſſeſſionis pacificæ, aut pluſquam triennalis habita ratione, non errorem errare grauem, cum docet eadem inhibere indulta, ne quis illis vti poſsit, nec ſumere poſſeſsionem virtute illarum, ipſa tamen indulti vrbani verba, ex quibus ius omne Regis ad beneficia Conuentualia adducitur, coram adducam, quæ nihil continent horum, & quibus quiſque poteſt facillime diſcernere, quo victitauerit lolio, qui hæc affirmauit. Poſt quam igitur Pontifex elargitus fuiſſet Regi facultatem nominandi ad beneficia Conuentualia, & ſtatuiſſet non Conuentualia ſiue ſimplicia ijs ſolum conferenda perſonis, quæ vel ſubditæ Regi eſſent, vel gratæ: Subiungit *non obſtantibus quibuſcumque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ſingulorum Prioratuum, præpoſiturarum, & præpoſitatuum, præfatorum, ac Ordinum quorum illa ſunt, & à quibus dependent conſuetudinibus, Priuilegijs quoque indultis, & Literis Apoſtolicis ſub quibuſque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis & innouatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis illorumque totis tenoribus ſpeciales, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua mentio ſeu quæuis alia expreſsio habenda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice dum-*

taxat

taxat ſpecialiter, & expreſsè deroga mus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque, non obſtantib us Datum Romæ die 6. Octobris 1640. Nulla autem leuiſsima mentio annullandi in perpetuum omnes, & quaſcumque prouiſiones, nulla ne quidem ijs obedientiam præſtet: non derogat poſſeſsioni pacificæ:& pluſquam triennali:non prohibet ne quis vti poſsit Pontificijs Bullis, aut virtute illarum ſumere poſſesſionem, ſed his cæremonijs hæc Sacra conſtant, ſupremus Iuſtitiæ myſta, conculcata ſemel iura, veritatis damno obterere maluit, quàm ſuo reſarcire.

Quod ait poſſeſſionem à Parlamento Dolano nunquam concedi, niſi cum expreſſa clauſula, ſine præiudicio rationum Regis; hæc clauſula conſeruat ſolum Ius in petitorio, *Poſth. de manutent. obſeruat.* 51.*num* 11. *& Rota poſt eius tract. deciſ.* 51. *num.* 7. *penes Mantic. deciſ.* 332.*num.* 3. *verſic.præterea, & in terminis noſtris Seraph. deciſ.* 756. *num.* 2. *& deciſ.* 773. *num.* 9. *Duran. deciſ.* 22. *num.* 3. *verſic. dicebant Domini Add. ad Gregorium XV. deciſ.* 332. *num.* 6. *Buratt. deciſ.* 375. *num.* 8. *verſic. vt ſic.* Subiungit *cum Maieſtas Catholica in ſuis Conſilijs Belgi examinari feciſſet qualitatem Prioratus Beatæ Mariæ de Sancto Marcello, cognouerũt & iudicarunt eſſe Conuentualitatis, comprehendique ſub indulto Apoſtolico.* Multa ſic congerit Præſes, examinarunt, cognouerunt, iudicauerunt, vt ipſo ſub pugnæ initio, victorem arena, exiturum crediderıs: at amabo, ſi Conſilia examinarunt, ſi iudicauerunt, examen ſententiamque producat Præſes, & tum demum quod examen, quæ cognitio præceſſerint, quibus momentis innixa fuerit ſententia, Henrico fauerit an Marino augurabimur coniectura. Interim ipſum conuenio Præſidem, atque eorum admoneo quæ dictis Conſilijs Bel-

 gicis

Digitized by Google

gicis expoſuit, vt Prioratum de Vaucluſa Marino Filio impetraret. Cum enim ius Marini ad Prioratum Beatæ Mariæ de Sancto Marcello infirmum ac nullum, & conclamatum cognouiſſet, promiſit illum eo ceſſurum vt Prioratu de Vaucluſa potiretur. Ea ſuggero quæ literis Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Marchionis de Caſtelrodrigo oratus, vt Iura Henrici conſeruare vellet illæſa Reuerendo P. Fulgentio Bernier reſpondit his verbis, *Dominus Prior de Sancto Marcello* (nempe Henricus) *non fuit hactenus moleſtatus, nec poteſt in poſterum moleſtari in poſſeſſione beneficij Sanctæ Sedi reſeruati, atque talis recogniti, & declarati de mandato Philippi II.* Hæc ille dum vel ſtimularet conſcientia, vel iura apud eum locum obtinerent ſuum: at iam in animum induxit optimè, & Iuſtitiæ, & Conſcientiæ conſultum fore ſi quàm maximè inſeruiret filij comodis.

Verùm enim verò credendum non eſt, ſapientiſsima atque integerrima Conſilia Belgica, ſi examinare voluiſſent qualitatem Prioratus Beatæ Mariæ de Sancto Marcello, tam malè ſuis functa officijs, vt non inueſtigarent quis vltimus illius ſtatus fuiſſet, qui in beneficialibus ſemper attendi ſolet, *Mareſcot. variarum reſolutionum lib. 1. cap. 55. per totum*, *Lottier. de re beneficiaria lib. 1. quæſt. 34. num. 21.* Ex eo enim deprahendiſſent facilè ſimplicem fuiſſe, Cura, & Conuentu carentem, vt manifeſtum euadet, ex Bullis Apoſtolicis Ferdinandi Archiepiſcopi, Marci illius Fratris, & aliorum qui à tempore cuius memoria non extat, eum poſſederunt, è Regeſto Parlamenti Dolani, cuius copia Bruxellis aſſeruatur qualitates beneficiorum Burgundiæ deſcribente, & Prioratum hunc de Sancto Marcello annumerante ſimplicibus.

Extra fidem pariter eſt, Conſiliarios Regios magna pruden-

prudentia, & rerum vſu viros, voluiſſe cognoſcere de natura Prioratus in Burgundia ſiti, non conſulta prius Dolana Curia, quod in rebus exiqui magis momenti facere ſolet: illa enim ſui potuiſſet regiſtri olim publici, nunc apud Præſidem, velut priuatis carceribus detenti, verba producere, quæ dum ſtatum beneficij ſimplicem, non conuentualem deſcribunt, clarè euincunt cauſam noſtram, quamque iniuſte Marinus ſuus, Prioratum in controuerſia poſitum, à ſe inuaſum detineat, dicto Præſidi patefaciunt, ita enim ſe habent *Prioratus Beatæ Mariæ de Sancto Marcello Ordinis Cluniacen. dependens à Monaſterio Abbatiali Sancti Benigni Diuionenſi, in eo nulla nota Conuentualitatis reperitur ſingulis hebdomadis ad tres miſſas tenetur.* Conſiliarius le Ieune qui inquiſitiones in dicto Regiſtro contentas, ab octo annis 80
ex officio confecit, ſeque perſonaliter ad dictum Prioratum tranſtulit, pro habenda illius qualitatis certa notitia, vt Iuris peritus pro æquo, & Iure retulit Cura, & conuentu carere, atque hoc optimè nouerat, qui iura Burgundiæ Patriæ ſuæ perſpectiſsima habet, Illuſtriſsimus Dominus de Brun, qui cum eſſet Curiæ Parlamenti Dolani Procurator Generalis, quo tempore vacabat hic Prioratus, ad fratrem ſuum Romæ commorantem ſcripſit, vt eum ſibi impetraret à Sancta Sede, cùm certo ex regiſtris Parlamenti Dolani conſtaret eum eſſe reſeruatum Papæ.

Sed pergit Præſes. *Quapropter ad illum nominauit Marinum Boyuin, illique literæ illius nominationis expeditæ fuerunt, quibus exhibitis Parlamento immiſit illum in adminiſtrationem Prioratus, quo aduſque confirmationem dictæ nominationis obtinuiſſet à Sancta Sede cum ſpeciali mandato omnes, & ſingulos fructus ab eo perceptos à die obitus Ferdinandi Archiepiſcopi Biſuntini*

vltimi

vltimi illius poſſeſſoris. Non vno exemplo doceri poteſt Reges Principeſque circumuentos, ab ijs qui conſcientiam poſt habent vtilitati, ea fecere, quæ nec deberent, nec vellent veritate edocti. Ita res ſe habet in preſentiarum, nam illi quibus omnia Marini commodis poſt fuere, Regem edocuerunt, Prioratum Beatæ Mariæ de Sancto Marcello, non ſimplicem, ſed conuentualem eſſe ſub Indulto cadere, non vero reſeruatum Apoſtolicæ Sedi: quid igitur mirum, ſi Maieſtas ſua ad eum vt ſua ſub facultate comprahenſum, nominauerit Marinum? certè ſi verum exiſtat, vt eſt veriſsimum, malè narrantem, malè impetrare, malè impetrauit Marinus, qui falſo narrauit Prioratum Conuentualem fuiſſe, & nominatio Regis dolo expugnata falſiſque innixa præcibus, illi non ſuffragatur.

Sed quis æquis poterit auribus tantam Sacrorum Canonum iniuriam audire? Parlamentum (inquit) immiſit illum (Marinum) *in adminiſtrationem dicti Prioratus quo ad vſque confirmationem nominationis obtinuiſſit à Sancta Sede*: Hoc eſt Parlamentum illum præcipitauit, primò in excommunicationem, qui enim à Sancta Sede non confirmatus adminiſtrat *incidit in pœnas cap. auaritiæ de electione in 6.* deinde in crimen ſeu vitium intruſionis, quia titulo caruit etiam colorato ita enim de nominato à Rege, & non dum confirmato à Papa docet Rebuffus *in praxi part. 1. tit. forma dimiſſorialium, & in reg. de ſubrogandis gloſſ. 4. num. 22.* vbi talem non dubitat appellare prædonem. Tertio in eas Iuris latæ ſententiæ pœnas quas recenſet Theſaurus *in praxi Eccleſiaſtica part. 2. Verbo intruſio cap. 5. per totum nempè in excommunicationem contra vſurpantes Iura, & bona Eccleſiarum, ſeu fructus earum, ex Tridentino ſeſſ. 22. cap. 11. & in Bulla Cœnæ Domini; præ-*

terea

tereà in pœnam inhabilitatis ad beneficium,quod auſus eſt adminiſtrare, *item ibidem num.* 6. Quæ omnia eò veriora ſunt, quò maiori ſcælere ſe commaculauit Marinus, qui non temporalium ſolummodò, ſed & ſpiritualium inſuper adminiſtrationi ſe ingeſſit. Multum debes Marine parenti tuo, qui Parlamento Dolano Author fuit, vt his te pœnis inuolueret: plus tamen, quod ipſum ijs etiam ſe reddiderit obnoxium dum tui cauſa ſui iuris prætergreſſus fines, Sacros Eccleſiæ Canones inuaſit audaciter, temerè violauit, ſed proſequitur.

Certè dicti Prioratus Conuentualitas ex ſola inſpectione Eccleſiæ, & ædificiorum illi adhærentium colligitur, Conſiliarius le Ieune, vt ſupra vidimus iuſſu Philippi II. Hiſpaniarum Regis glo. mem. a Parlamento Dolano Deputatus vt viſitaret, examinaret, cognoſceret, referret, quæ beneficia Burgundiæ ſimplicia eſſent quæ Conuentualia, multam poſt diligentiam adhibitam locique inſpectionem, retulit: *nullam, in eo notam Conuentualitatis reperiri*: quinimò nullam inueniri ipſemet Præſes cum viſu ſincero inſpector eſſet, reſponderetque, vt ſupra vidimus, neque vllas Henrico moleſtias fuiſſe illatas neque poſſe à quoquam inferri. Iam vero oculis collirio, & Marini filij amore, & vtilitate confecto punctis, longè alius explorator, ſuo, & filij lucro proſpicere voluit, non veritatem inſpicere: alias enim meminiſſet, quæ ipſemet reſponderat, quæ Conſiliarius le Ieune retulerat, quæ Parlamentum ad poſterorum memoriam legemque ſuis tabulis inſcripſerat, quæ rectis inſpiciendi oculis luce clarius meridiana oſtendũt Prioratum Beatæ Mariæ de Sancto Marcello conuentualem non eſſe: ſed quibus contrarium probare conatur argumentis deſpiciamus, ait autem.

Eccleſia enim ampla eſt, tribus Altaribus illuſtrata,

ſuper

ſuper quorum maiori antiqua pictura praeminet referẽs duos Religioſos Sancti Benedicti cum differentia notabili, quæ eſt inter habitum Priorum, & Monachorum dicti Ordinis quis non optimum perhibebit vatem, qui tam belle conijcit? Eccleſia ampla eſt, ergo Conuentualis, in maiori Altari duo Monaci pictura antiqua expreſſi, ergo conuentualis, in ea pictura notabilis cernitur differentia, quæ eſt inter habitum Priorum, & Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, ergo Conuentualis, melius vnico cauſam integram peregiſſet argumento, ſuæ, & filij Marini res id expoſcunt, ergo Conuentualis, dic, amabo, conſequentias haſce elumbes, quis non rideat? non enim ex amplitudine Eccleſiæ, copia Altarium, ſed numero, & præſentia Monachorum Conuentualitatem probamus, Monaci non in ará depicti, ſed Monaſterium inhabitantes Conuentum efficiunt, Dignus eſt ſanè, quem antiquarum rerum indagatores in Angliam, & Germaniam emandent, vt è magnitudine ædificiorum, Altarium multitudine, picturis forſan parietinis, quod Parochiale, vt vocant beneficium, quod ſimplex fuerit, quod conuentuale pronunciet, tot tantaſque lites inter Hiſtoricos de ijs digladiantes componat. Neque fælicius differentiam notabilem inter habitum Priorum, & Monachorum Ordinis Sancti Benedicti depræhendit, cum non regula, non ſtatuta illius, non conſuetudo talem memoret differentiam pergit.

In dicta Eccleſia Sepultura Priorum, & Religioſorum aliæ alijs antiquiores reperiuntur. Dignitates Regulares (vt erat Prioratus de Sancto Marcello antequam commendaretur) ex indulto Vrbani VIII. & alijs ſuorum prædeceſſorum ſunt, & fuerunt ſemper Sanctæ Sedi reſeruatæ, neque enim è ſepulturis Priorum, & Religioſorum conuentualitas demonſtratur. Sequitur.

Clau-

Digitized by Google

Clauſtrum adhæret Eccleſiæ, quatuor cubicula habitationi Prioris, adſunt duæ areæ, vinarium equeſtris, viridarium arboribus cinctum pro vt in Monaſterijs, omnia denique inſunt ad Monaſterium neceſſaria. Certè quæ recenſet Præſes, omnia non ſunt quæ ad Monaſterium Conuentuale neceſſario requiruntur, illud enim non clauſtra, non quatuor cubicula, non areæ, non vinarium viridariùmque arboribus cinctum, ſi deſit Conuentus, ſi abſint homines, efficiunt; illos adeſſe oportet, vt dici poſſit Conuentuale, ſi quidem Conuentus dicitur Congregatio vel Collegium Monachorum in vnum locum conuenientium, *Abbas in cap. edoceri in vltimo notabilium de reſcrip. & in cap. cum Eccleſia in 3. notabil. de cauſis poſſeſſ. & propriet. Rebuff. in lege in itinere verſ. Conuentus ff. de verb. ſignific hinc gloſa in lege generali verb. Monachos Cod. de Sacroſancta Eccleſia inquit Conuentum eſſe locum in quo habitat multitudo Monachorum, & Feder. de Senis, conſ.* 145. *num.* 7. *ante medium verſ. primo an Dominus eſſe habitationem Monachorum, & propterea Balaus in leg.* 1. *col.* 2. *de inſtit. & ſubſtit.* notat Monaſterium dici propter Monachos, & non ſine Monacis vt fuit dictũ. *Abbas in cap. tu nobis de ijs quæ fiunt à Prælatis ibique add. verb. Monaſterium.* Sed Monachos neque habet hodie, neque habuit ab immemorabili tempore Prioratus controuerſus, ergo non eſt Conuentualis. Subiungit.

Non eſt conſiderandum Ferdinandum Archiepiſcopum obtinuiſſe illum à Sancta Sede tanquam cura, & Conuentu carentem; quia fuit per reſignationem ei factam à Marco de Rye eius fratre, qui iam eum Prioratum ſimili modo a Papa obtinuerat reſignatione ſibi facta ab auunculo. Legitimum validumque titulum reſignatione ac-

Digitized by Google

quiri ignorat Præſes? an diſſimulat? ſi diſſimulat officio boni viri, ne dum Iudicis ritè nò fungitur, ſi ignorat ac nemo non pragmaticorum docere potuiſſet reſignationes vſu receptas, à Sacris Concilijs permiſſas, à Summis Pontificibus approbatas, eas tollat, & multó maximam prouiſionum partem ſuſtulerit, eſt autem reſignatio libera, & ſpontanea dimiſſio beneficij obtenti facta cum cauſa coram Superiori. *Pariſ. de reſignatione lib. 1. quæſt. 1. num.* 34 quam definitionem ad probandum titulum reſignationis exornat numeris ſequentibus, & toto tractatu, regulas, modum, conditiones, & cætera quæ requiruntur ad eam ritè conficiendam tradit, pluraque, & præſtantia habet *Rebuff. 3 part. praxis beneficiorum tit. de reſig.* vbi totam illius naturam copioſè deſcribit, quæque accedere oportet vt valida fiat doctè atque enucleatè deducit, pergit.

Minus eſt conſiderandum, quod dictus Archiepiſcopus in dicto Prioratu nullum Monachum aluerit; quia ſperatur poſſe demonſtrari ibi vnũ ad fuiſſe quando ſumpſit illius poſſeſſionem, qui ad Monaſterium Abbatiale de Luxouio tranſmiſſus fuit, & vocabatur Monachus Sancti Marcelli? Pulchrè profectò, & rem ſuam probare curantis viri, fundamento non certo, non reali Henricum exuit, filium induit certâ, verâ, reali poſſeſſione. An non hominis hæc ſunt, omnia ſibi quo iure, qua iniuria vendicantis? Si quis ea dixiſſet à patria exul, excluſus à dypticorum inſpectione, veniam forſitan fuiſſet promeritus, at eà preferri ab eo, qui in Comitatu Burgundiæ, & apud Parlamentum Dolanum omnia poteſt, cui omnia illius archiuia patent, qui regiſtra illius apud ſe recondita habet, quis poſſet indulgere? ex illis enim potuiſſet facillimè, nedum Prioratus huiuſce ſtatum dignoſcere, eaque eruere argumenta, quæ

quæ intento ſuo euincendo ſuiſſent ſatis, ſed præterea nullum in eo Monachum fuiſſe, qui ad Monaſterium Luxouienſe tranſmitteretur, quò ſi quis Monachus Sãcti Marcelli dictus tranſlatus fuit, non ille huiuſce Prioratus Beatæ Mariæ de Sancto Marcello, ſed alterius Monaſterij de quo mox dicemus fuit, ſed ijs omiſſis *ſperatur* inquit *poſſe demonſtrari*, vt magni ſe animi oſtendat eſſe, *magnæ enim Indolis eſt ſperare ſemper*, inquit Florus, lib. 4. cap. 8. ad ſpes temerarias confugit, (quæ facillimè fallunt homines) neſcius inſperata accedere magis ſæpe, quam quæ ſpecies, imó *ſpem malam*, vt ait Socrates *apud Stobeum ſer.* 109. *ducem eſſe*; nam ea frœtus in ea impingit, quæ mox dicemus, in libello enim ſupplici Pontificijs Regijſque Miniſtris exhibito, ait.

Henricus Othenim obtinuit ſibi prouideri à Dataria Apoſtolica de Prioratu Sancti Marcelli Biſuntin. & Lugdunen. diœc. vt de beneficio ſimplici, Rex ad eum nominauit tanquam ad beneficium conuentuale, & tale probatum ex fundatione, & dotatione ſupradictis à Guntbramno Rege Burgundiæ factis, ex numero Monachorum, ex officio illorum qui ab vltimo poſſeßore ad Monaſterium Abbatiale de Luxouio fuerunt tranſmiſſi, & vltimus illorum qui vixit vſque ad annum 1598 & vocabatur Monachus Sancti Marcelli, quod ſi Archiepiſcopus Biſuntinus, qui de dicto Prioratu prouiſus fuit anno 1579 & illũ poſſedit vſq; ad diem obitus ſui, qui fuit ãno 1636. nullum in eo aluerit Monacum, illud non mutat naturã beneficij, quia illud obtinuerat Romæ per reſignationem à fratre ei factãm nec licet Prælato mutare naturam beneficij.

Credi hæc poſſunt, tantaſq; Iuſtitiæ, & iuſtitiæ moderatore inſidias ſtruere veritatẽ non actis dolo cuniculis, ſed pura, puta manifeſta omnibus violentia euertit? nam Prio-

ratum ad ripas Araris Cabilonen. dioc. in Gallia ſitum ſub inuocatione Sancti Marcelli, loco Prioratus Beatæ Mariæ in pago Sancti Marcelli in Comitatu Burgundiæ Biſuntin. dioc. ſubſtituit, illum enim non hunc Gunthramnus Burgundiæ Rex fundauit: ille forſan (noſtrâ enim non intereſt ſit nec ne inquirere) hic autem conuentualis non eſt; & tamen vt hunc conuentualem eſſe probaret illius fundationem tanquam, ſi huius eſſet, à Gunthramno factam audaci arte producit, quis hoc ferre poteſt in tanto iuſtitiæ *myſta*? quis æquo animo ferre illum vt Pontificijs Regijſque miniſtris imponeret, eòſque in ſua vota haberet faciles, atque Henricum poſſeſsione deijceret, filio acquireret Prioratum, pari veritatis, & iuris ſtrage voluiſſe locum, pro loco; Prioratum, pro Prioratu; Beati Marcelli in ſuburbio vrbis Cabilonenſis, Cabilonen. dioc. in Gallia, pro Beatæ Mariæ in pago de Sancto Marcello, aliam Burgundiam eſſe aliam Galliã, ea omnia nedum Archiuia, quæ apud ſe condita habet, non doctus quiſpiam ſed ipſi è triuio ruſtici, atque idiotæ docere poterant, ſciebat ſententiã cum ferre voluit iniuſtam ſiue nociuam famæ, & conſcientiæ Henrico damnoſam, vel iam ſaltem *refigat* eam, decedat Marinus poſſeſsione Henrico reſtituenda, atque audiat illum, qui terribili voce Iudicibus intonat, *diſcite Iudices finium terræ, præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt a Deo poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo qui interrogabit opera veſtra, & cognitiones veſtras ſcrutabitur, quoniam cum eſſetis Miniſtri Regni illius non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis Sap. 6.* alias horrendum illud pertimeſcat væ, quod ab æterno, & omnipotente Iudice pronuntiatur in eos. *Qui ſcribentes in*

iuſti-

iuſtitiam ſcripſerunt vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ prædæ eorum, & pupillos diriperent, quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longe venientis; ad cuius confugietis auxilium Iſaiæ 10. Sed redeamus, & è dictis ſuperiùs concludamus non tam longè diſtare Cabilonem in Aeduis ab oppido Sancti Marcelli in Burgũdia, quàm longè diſtet à veritate Dominus Præſes, dum aſſerit repertos in Prioratu Beatæ Mariæ de Sancto Marcello (quo tempore Illuſtriſsimus Ferdinandus de Rye Archiepiſcopus Biſuntinus illius poſſesſionem iniret) Monachos, qui poſtmodum ad Luxouienſe cœnobium translati fuere, nam ipſomet, vt vidimus fatente, Monaci illi non fuerunt Prioratus Beatæ Mariæ in oppido Sancti Marcelli à Gunthramno Rege fundati ſcilicet Cabilone propè Ararim in Gallia ſiti, & conſequenter non mutauit ſtatum naturamue illius Archiepiſcopus, qui nullos in eo reperit Monachos, nullos induxit, ſimplicem non conuentualem reperit, illum ſimplicem non conuentualem reliquit; Sed Dominus Præſes, quo cœpit pergit gradu, & veritatis fines cum plus ſemel tranſiuit, alteram prouerbij partem grauiter agit, ait enim.

Non ſolum conſtare ex fundatione, dotatione, & numero monachorum prædictis dictum Prioratum eſſe conuentualem, ſed etiam ex eius retentione conceſſa à Siſto V. Ferdinando in eius Bullis ad Archiepiſcopum Biſuntinum, vbi habetur claris verbis non deberi conferri niſi de conſenſu Regis Catholici, vbi nam gentium hæc effutit Dominus Præſes? Romæ nec latas timet in eos, qui Bullas Apoſtolicas adulterantur pœnas? ignorat produci facile ex ipſo regiſtro Pontificio Bullas, qui ipſum falſitatis conuincerent? en ipſas producimus, *e Sixti V.*

anno

diuo 2. *fol* 52. vt videat ea lector, & admiretur albis præcordijs hominem ea ad ſuam cauſam probandam induecere, quæ eam penitus euertunt, ſic enim ſe habent verba Bullæ. *Sixtus, &c. & ſicut accepimus tu tempore prouiſionis Sancti Petri de Giniaco Cluniacenſis de quo niſi de conſenſu Chariſſimi in Chriſto Filij noſtri Hiſpaniarum Regis Catholici ratione Comitatus Burgundiæ cuius ipſe Philippus Rex, & Comes exiſtit per Sedem Apoſtolicam, vt etiam accepimus, prouideri non poteſt, ac loci de Sancto Marcello Sancti Benedicti Lugdunen. & Biſuntin. reſpectiuè dioceſ. Prioratus ex conceſſione Apoſtolica ad tui vitam obtineres pro vt obtines, &c.* quæ clara vt ipſe fatetur ſunt, quinimò ipſo diurno lumine clariora, manifeſtant tamen longè ipſum à recto tramite deuiaſſe, Pontifex enim cum dixiſſet Ferdinandum de Rye priuſquam ad infulas veſentiones ſublegeretur, binos obtinuiſſe Prioratus Sancti Petri videlicet de Giniaco, & Beatæ Mariæ de Sancto Marcello, alterum eorum non ambos Sancti Petri videlicet de Giniaco, non Beatæ Mariæ de Sancto Marcello ſub Regio cadere indulto demonſtrat, nam cum illum commemoraſſet, ſubiungit: *de quo niſi de conſenſu Chariſsimi in Chriſto Filij noſtri Hiſpaniarum Regis Catholici ratione Comitatus Burgūdiæ cuius ipſe Philippus Rex, & Comes exiſtit per Sedem Apoſtolicam prouideri non poteſt*. Huius autem ſimplicem tantummodo inijcit mentionem, nulla vel vmbra leuiſsima, vel tenuiſsimo veſtigio Regiæ nominationis, nempè vt non hunc, ſed illum Regio ſub indulto cadere demōſtret, alias vel vtrumque vna compræhenſum clauſula, eadem ſub qualitate contineri, vel vt illum, ita, & hunc non potuiſſe niſi præuio conſenſu Regis conferri dixiſſet, non vero alterum ab altero diſterminaſſet, alterum conſenſus Regij vinculo illigatum,

tum,

tum, alterum liberum enuntiaſſet. Nam ſi quis diceret Henricum multa iniuſtè paſſum à Marino Præſidis filio, & alijs; an non diſputator ineptus eſſet, qui inferret alios illos dicti Præſidis fuiſſe filios; quod illud de vno Marino ſocio criminis pronuncietur; ſi quis efferret Dominum Præſidem Beyuin (qui filio Marino Author fuit vt fictè cederet Prioratum Beatæ Mariæ de Sancto Marcello, quo poſſet Prioratum de Vaucluſa obtinere, Regi, & Regijs Miniſtris impoſuit;) atque alios conſtituere parlamentum Dolanum, an non friuolè quis inde argueret eos alios forenſes Proteos & planos Baſilicanos eſſe quod illud de Domino Præſide non iniuria dicatur, nequaquam me herculè, nam coniunctiuum ſeu maius diſiunctiuum hoc in loco appellare. Marinum patremque ab alijs diſcriminat, atque illum tantummodo iniuſtitiæ, hunc ſolummodo aſtutiæ reum declarat, alios autem vtriuſque innocentes, ita planè noſtro in caſu, cum Pontifex dicat poſſediſſe Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Prioratum de Giniaco, ad quem præuius requirebatur conſenſus Regius, & hunc de Sancto Marcello, illumque non hunc ea nota inſigniet, clariſſimè docet illum Rege conſentiente, hunc vero nullo accedente Regis nominatione, vel conſenſu à Pontifice conferendum, illum conuentualem hunc ſimplicem eſſe illum non hunc ſub indulto cadere.

6 Quòd indè confirmatur: quia de iure omnia beneficia Pontificia collationis ſunt, neque præuium exigunt conſenſum Regium, vt ſua Sanctitas legitimè vbique ijs quemquam inueſtiat, & habet totum mundum pro diœceſi *cap. cuncta per mundum 9. quæſt. 3. latè Gonſales ſuper reg. 8. §. 1. proœm. num. 8. & per totum*, quia propter cùm vbi exceptio non reperitur poſita, à regula recedendum non ſit *l. in præuaricationis §. vltimo ff. de*

preua-

præuaricat. l. diſcentiente cap. de diuortio illam cap. de coll. Filani. de reſig. lib. 3. quaſt. 7. num 45. & prioratus Beatæ Mariæ de *S*ancto Marcello non excipiatur prout excipitur prioratus *S*ancti Petri de Giniaco, benè infertur eum ad puram nudamque Pontificiam collationem ſpectare, & conſequenter ſimplicem, & non conuentualem eſſe, deinde caſus exceptus firmat regulam in contrarium, vt commune Iuris proloquium habet. *l. nam quod liquidè §. final. primo reſponſorio §. de penu. legat. l. quaſitum §. idem reſpondet, Menoch. de arbitrio libro 1 quaſt. 3. num. 4. & conſil. 4. num 23. Cardinal. Seraſinus deciſ. 718. num. 7. & deciſ. 459. n. 3. & deciſ. 125. num. 11. farinac. in praxi criminal par. 4. conſ. 65. num. 10. & plures alij;* quare cum ſolus prioratus Sancti Petri de Giniaco non vero is de Sãcto Marcello eximatur à regula communi, aſſeraturque non poſſe abſque Regio conſenſu conferri, ſolus ille non hic (de quo præcipuus ſermo) harum teſtimonio Bullarum conuentualis erit, in illius ſolius collatione aſſenſus Regius debet requiri.

Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, nihil attuliſſe Præſidem, quod vel ſua ſtabiliat iura, vel Henrici euertat, nihil dixiſſe quod cauſam Henrici non probet, filij ſui Marini non infirmet. Marinus ſub nomine Regio beneficij prædonem, Henricum ſumma iniuria ſpoliatum non demonſtret, & conſequenter quanta cum iactura veritatis, & iuſtitiæ concludat, Henricum nullo, Marinum legitimo inſtructum titulo litigare cum ille pontificia collatione pacifica, & triennali poſſeſsione ſuffultus, hic verò nominatione Regia dolo obtenta minùſque idonea vſus, violenter intruſus fuerit, ille ſacros defenderit canones, hic violauerit, ille Curiæ tum pontificiæ tum Regiæ patrocinium fuerit pro-meritus,

hic

hic ab vtraque deſeri ab vtraque caſtigari, ille ſuis reſtitui iuribus quibus iniuſtè ſpoliatus fuit reſtitui, hic vſurpata per vim, & dolum poſſeſſione iuſtè deturbari, mulcta, & pecunia damnari, ac propterea verbis eiuſdē Domini Præſidis tantillum mutatis, nomine autem Henrici iuſti actoris iniuſtè damnati, legitimi poſſeſſoris contra leges eiecti concludo, quod cùm dictus Henricus *in hac cauſa interueniat, non pro ſuorum tantummodo, ſed Sedis Apoſtolicæ iurium defenſione, validitate Pontificiæ collationis, nullitate prætenſæ nominationis, & poſſeſſionis Marini, quæ non poteſt ſubſiſtere cum nullo legitimo titulo fulciatur, & Apoſt. Sedes non litigat ſine titulo, ideo Henricus illi adhærens debet fructus percipere.*

Ac propterea cum Dominus Præſes concludat, & quia Rex ſeu Fiſcus Regius in hac cauſa interuenit, & quia inquam hunc in modum ſuæ informationi finem ipſe imponit, quanto rectius nos actioni pro Henrico iuſto actore iniuſtè damnato legitimo poſſeſſore contra legis eiecto inſtitutæ iiſdem e verbis addemus celophonem, & quia Romana curia accedit illi pro defenſione SS. Conciliorum, Canonumque, & Sanctionum Eccleſiaſticarum, & iurium Romanæ Sedis, validitate Pontificia collationis, nullitate vero prætenſæ prouiſionis, & poſſeſſionis Marini, quæ ſubſiſtere non poteſt cum nullo legitimo titulo fulciatur, curia autem Romana validiſſimo pariter, & iuſtiſſimo nitatur, ideo Hērico illi adhærenti reſtitui debet poſſeſſio, fructuſque Prioratus, Marinus amoueri ab hoc, illis priuari, & ne Henricum in iis percipiendis impediat prohiberi, nedum ſub pœna priuationis iurium, quæ ſuper dicto Prioratu prætendit, ſed incapacitatis perpetuæ ad obtinenda in poſterum vlla ſeu officia, ſeu beneficia, aliiſque pœnis arbitrio Romanæ curiæ infligendis;

D Prio-

PRioratum Sancti Petri de Vaucluſa, Ordinis Sancti Benedicti, dependentem à Monaſterio Abbatiali Cluniacenſi, Vrbanus VIII. Fel. Mem. cõmendauit Claudio Franciſco de Baufremont, nulla in Bullis prouiſionis facta mentione; vel nominationis Regiæ, vel iuris cuiuſcumque Regi competentis. Ipſo fatis concedente, Rex Catholicus ad eum nominauit Antonium de Battefort, qui nullis expeditis Romæ Bullis, nulla obtenta Pontificia confirmatione, poſſeſsionem illius cõtra iura, & Canones illegitimè vſurpauit, eumque in temporalibus, & ſpiritualibus adminiſtrauit poſt mortem illius, id eſt, ſexennio poſtquam iure vacaſſet obitu Claudij Franciſci (Antonij enim nulla debet haberi ratio cum intruſus fuerit iniuſtuſque non legitimus poſſeſſor) Henricus Othenim Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Beſuntinæ, eum priùs commendatum, ideoque reſeruatum Apoſtolicæ Sedi, ſibi commendari obtinuit à Sanctiſsimo Domino Noſtro Innocentio Decimo, Litteras Apoſt. Romæ expeditas 20. Octobis Anni 1645. Parlamento Dolano exhibuit, vt habito, quod vocant, placito Regio, caperet poſſeſsionem, quam dum vrget, Marinus Boyuin impetrata nominatione Regia per obitum Antonij, & quinque menſibus poſtquam cum impetraſſet Henricus, cũ ſibi Menſe Martio 1646. conferri procurauit ab Apoſtolica Sede, legitimam validamque factam Henrico, inualidam verò nullamque factam Marino collationem plura ſunt quæ demonſtrant.

Nam Pontifex, qui ſolus conferre poteſt beneficia Sanctæ Sedi reſeruata eum vt reſeruatum commendauit Henrico de Pontificia collatione fidem faciunt Litteræ Pontificiæ prouiſionis factæ Henrico ſub finem huius tractatus producendæ, reſeruatum vero fuiſſe, proba-

tur

tur ex vltimo illius ſtatu qui ſemper in beneficialibus attenditur. *Lother de re beneficiaria lib.* 1. *quaſt.* 34. *num.* 21. nam in Claudij Franciſci vltimi illius legitimi poſſeſſoris Bullis, quas videre eſt *libro 16. fol.* 142. *Regiſtri, vel indulti Regi conceſſi ſecreti Vrbani VIII.* nulla mentio fit vel nominationis Regiæ, vel iuris cuiuſcumque ei competentis, quam procul dubio Pontifex feciſſet, ſi Regi nominatio, vel quodcumque aliud in illius collatione ius competiſſet, & ipſi ſoli non fuiſſet reſeruatus. Secundo earumdem vigore Bullarum Claudius Franciſcus immiſſus fuit in verã, realem, & actualem illius poſſeſsionem, annuente Parlamento Dolano, placitum vt vocant Regium concedente, ipſoque Procuratore Fiſci Regij nullatenus contradicente. At enim veró neque annuiſſet illi, & ſic ſe oppoſuiſſet prouiſioni, contra tenorem indulti, priuilegia patriæ, & iura Regia peccanti, Bullaſque Prioratum non reſeruatum, vt reſeruatum conferentes reieciſſet.

Secundo. Omnes commendæ reſeruantur Apoſtolicæ Sedi, donec in titulum prouideantur: *Puteus deciſ.* 154. *lib.* 1. paſsim à Rota recepta, *& in Virdunen. Abbatia coram Coccino impreſſ. deciſ.* 250. *num.* 14. *& ſequent.* At Prioratus vltimo fuit commendatus Claudio Franciſco vt patet ex illius Bullis, de quibus ſupra, propterea reſeruatus fuit Apoſtolicæ Sedi.

Tertio. Omne ius ſuum ad nominandum ad hunc Prioratum, Rex habet ab indulto; ſed illud quo tempore Pontifex illum contulit Claudio Franciſco vacabat, nempè anno 1633. expirauerat cum Sereniſsima Iſabella Belgij Principe, anno demum 1640. Regi Catholico denuo conceſſum, intermedio igitur tempore anno videlicet 1637. cum eum Pontifex Claudio Franciſco contulit dubio procul, eum vt reſeruatum affe-

ctumque Apoſtolicæ Sedi ritè valideque contulit, & conſequenter ex noua appoſitione manus Pontificiæ,& vigore commendæ reſeruatus adhuc manet.

Quarto. Cùm tot igitur titulis fuerit reſeruatus, nullatenus ſub indulto, quod nullam facit de reſeruatis mentionem cadit: *Rebuff. quaſt. 15. num. 54 in generali autem diſpoſitione non comprahenduntur reſeruata: Roman. Conſil. 160. in beneficijs part. 5. cap. 1. num. 25. poſt med. in Caleguritana beneficij de Brantouillæ prima Aprilis 606. coram Cardinali Sacrato in deciſ. 666. n. 8. part. 1. & deciſ. 569. num. 6. & 7. part. 2. recent. & coram Reuerendiſſimo Vrgellen. deciſ. 263. num. 11. & deciſ. 263. num. 11. & deciſ. 277. num. 1. & in alijs cōgeſtis, & in Ferrarien. Parochialis 4. Iulij 1642. coram Cerro,* & propterea indultum non impediet quò minus collatio illius, vt reſeruati facta Henrico valida fuerit.

Quintò. Ipſummet indultum concedit quidem Regi facultatem *nominandi ad dignitates Abbatiales, & beneficia conuentualia; ſed ea conditione; vt nominatio Regia infra decem menſes à die cuiuslibet vacationis facienda, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti præſentanda ſit:* vt ſi totis decem menſibus, vel ſua Maieſtas nominare ad beneficium vacans neglexerit, vel nominatus confirmationem petere ab Apoſtolica Sede, collatio illius ad Sedem Apoſtolicam deuoluitur, poteſtque Summus Pontifex de illo (vtcumque compræhenſo alias in indulto) liberè diſponere. At hic caſus noſter eſt, nam ſex anni (nedum menſes decem) effluxerant à morte Claudij Franciſci vltimi poſſeſſoris legitimi, antequàm Marinus ſuam nominationem Sedi Apoſtolicæ præſentaſſet, ergo deuolutus fuit Prioratus ad Apoſtolicam Sedem libereque, & licitè potuit enim Pontifex pro arbitrio conferre.

Sexto.

Digitized by Google

Sexto. Indultum ſtrictè, & retenta verborum formalitate intelligi debet, vt in ſimili indulto conceſſo Ducibus Sabaudiæ *dixit puteus deciſ.* 25. *lib.* 2. vt qui contendit illud ſibi ſuffragari eoque ſe fundat, probare debeat ſe illius conditionibus ſtetiſſe, *Rota in Cameracen. coram Merlino impreſſ. deciſ.* 176. *num.* 1 *part.* 5. *recent.* atque in particulari obitum perſonæ, (cuius morte vacauit beneficium) intra terminum ab indulto præſtitutum, *Gonſales de beneficijs part.* 11. *cap.* 10. *num.* 22. *Rota deciſ.* 11. *num.* 20. *verſ.* 3. *part.* 5. *recent.* ergo Marino incumbit oſtendere non plures decem menſibus à die vltimi illius poſſeſſoris (prout indultum præſcribit) Prioratum vacaſſe, quando ſua Maieſtas ipſum nominabat, ipſe confirmationem petebat ab Apoſtolica Sede: ſecus enim nugas agit, neque ſolidi iuris quicquã ad eum donat, vel Rex nominans, vel Pontifex confirmans, ille enim iam exciderat priuilegio nominandi ea vice ob terminum elapſum, hic nihil iuris ſua intendit confirmatione tribuere contra iura ſupplicantia, ſed nunquam hoc demonſtrabit Marinus, cùm vt dictum eſt, non decem menſibus, ſed annis ſex per obitum Claudij Franciſci de Baufremont vacaſſet Prioratus, quando ad ipſum nominatus fuit, ergo conditionibus indulti cùm non ſatisfecerit, nihil ex eo ad cauſam ſuam præſidij deriuare poteſt.

Sed dices Prioratum vltimo vacaſſe morte non Claudij Franciſci ſed Antonij de Battefort, qui illum poſt obitum Claudij Franciſci de facto ſaltem, & ſi non de iure poſſedit, obijtque pluribus menſibus antequam eum intereſſet Marinus. Reſpondeo Antonium graſſatum in beneficij poſſeſſione, & violenter illius vſurpatorem omni ad eum iure, ſi quod prætendere poterat, excidiſſe, ob non petitam neque obtentam Romæ con-

firma-

Digitized by Google

firmationem: atque inſuper, incidiſſe in pœnas in eos latas, qui Bullis non expeditis beneficij poſſeſsionem ineunt, & temporalia, & ſpiritualia adminiſtrant, ac proinde nullam in hoc caſu rationem habendam, Prioratu, morte non illius, ſed Claudij Franciſci vacante, friuola deinde eſt, & futilis diſtinctio vacationis facti, & iuris in caſu præſenti, cùm indultam non de hac, ſed de illa loquatur *Caſſad. deciſ. 5. num. 4. de priuileg. Lother. lib. 3. quæſt. 20. num.* 118. E quibus patet, factam Henrico Prioratus collationem validam fuiſſe; inualidam vero factam Marino, cui neque indultum Regi conceſſum, neque Regia nominatio friuolè, neque confirmatio Pontificia ob repetitiè obtenta ſuffragatur, quique inutiliter præterea adducit clauſulam amoto, &c. non tamen à nobis prouiſis, &c. in Litteris Apoſtolicis Henrici poſita, quaſi ipſum non poſſet Marinum falſis narrationibus nugatoriè prouiſum amouere, cùm clauſula illa intelligenda ſit, de prouiſis tempore dicti Breuis Henrici, non de prouidendis: *Gonzal. in annot. contra nullit. num. 27. verſu rurſus Garſias part. 6. cap. 3. num. 8. in addit. Barboſa clauſula 60. num. 5. Rota in Toletana coram Iuſto per Marcheſ. part. 1. fol. 384. & ſeqq. & in Vintimillien. Cappellania 30. Maij 1635. coram Motmano*. Marinus igitur, cum non tempore dicti Breuis Henrici ſub datum 20. Octobris 1645. ſed quinto poſt menſe ſcilicet Martij 1646. Bullas ſuæ pretenſæ prouiſionis expedierit, non poteſt ſe fundare in præfata clauſula, neque ſimiliter in ea alia, ſine præiudicio Litterarum Apoſtolicarum, quæ pari modò debet intelligi de tunc expeditis, non de expediendis poſtea *Barboſa Clauſula 160. num. 7. Lother. lib. 3. quæſt. 11. num.* 37.

Henricus igitur cum ad modum ritè legitimeque prouiſus, Literas Apoſtolicas de capienda poſſeſsione

nomine

Digitized by Google

nomine Cameræ, vnà cum monitorialibus Illuſtriſsimi Auditoris Cameræ ab officiali Biſuntino, cui committebantur executioni mandatis 24. Nouembris anni præfati 1645. cum totius ſerie proceſſus opera Iacobi Othenim Sacerdotis fratris ſui præſentatis Parlamento Dolano, vt placetum pro more ab eo impetraret, Parlamentum Literis Apoſtolicis admiſsis de earum præſentatione, & executione teſtimonium conceſſit, mandauitque acta omnia Regio Procuratori tradi, vt intrà octauum diem ſuper ijs reſponderet. Is autem, tametſi prædicta omnia illi à Curiæ apparitore conſignata fuiſſent, non ſolum non obediuit, ſed eadem cymba cum D. Præſide nauigans maluit in Sacros Canones iuſtumque, & æquum peccare quàm eas exequi, innodatus cenſuris in eos latis qui executionem Literarum Apoſtolicarum (quas in hodiernum detinet diem) impediunt aut retardant.

Dum hæc Dolæ ſequanorum agerentur, præfatæ monitoriales literæ veſontione præſentatæ fuerunt Marino qui poſt habitis timore Dei, reuerentia, & obedientia, quam debet Romanæ Sedi eiuſque mandatis, Flocci æſtimās Eccleſiaſticas cenſuras in eos vibratas, qui tribunalia adeunt laica, impediuntque, vel impediri procurant Apoſtolicas Literas ad Parlamentum Dolanum confugit, obtinuitque ab eo affigi publicè in Ciuitate Biſuntina libellum tenoris ſequentis.

Notum ſit omnibus quod Dominus Ioannes Simon de Broiſſia Procurator Generalis in Comitatu Burgundiæ, & Parlamento Dolano. & D. Marinus Boyuin presbiter Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ Dolanæ illi adhærēs appellant ad Sanctiſſimum de Breui per D. Henricum Othenim Metropolitanæ Eccleſiæ Biſuntinæ Canonicum à Sanctiſſimo obreptiuè impetrato. Confugerunt autem

ad aram

Digitized by Google

ad aram prouocationis, vt eo velut aſylo, contra iuſtitiam ſe tuerentur, quam in hodiernum diem non adornauerunt, quamuis, qui Curiam appellat appellationem intra annum debet proſequi; alioquin res tranſit in iudicatum: *Rota deciſ. 223. diuerſ. coram Carillo.* Inſtante dein Marino parlamentum iuſſit monitoriales præfatas ac Breue Sanctiſsimi detineri, ac nullius eſſe roboris, ac momenti declarari, ipſique præcepit Henrico ne ijs vteretur.

Cum verò poſtmodum intellexiſſet, præfatas Auditoris Cameræ monitoriales literas, cum earum executione perſonali actuarij manu recognitas, in actis cauſæ ſibi intentatæ Notarij fuiſſe reproductas, ſeque Illuſtriſsimi Domini Argoli dicti Auditoris locumtenentis ſua ſententia ad valuas Cathedralis Eccleſiæ Biſuntinæ alijſque in locis publicè affixa declaratum excommunicatum alijſque Eccleſiaſticis cenſuris innodatum, quo cœpit pergens Sacri Tribunalis fori contemptu, ad laicos Iudices, parlamentum inquam Dolanum denuò recurrit, & præuijs quibuſdam citationibus Henricum, & Iacobum fratres in ius coram illo vocauit, illum quidem quod Marinum euocaſſet ad Romanam Curiam, Iacobum vero quod Parlamentum Dolanum pro regio conſenſu (quod placetũ vocant) ad exequendas Apoſtolicas Literas ea in prouincia neceſſarium interpellaſſet, atque ambos Sacerdotes laico foro exemptos, contra dignitatem, & priuilegia Cleri, contra Sacros Canones, ſanctiones pontificias, & Sacrorum definitiones Conciliorum, violata Iudicij forma iniuſtè inualideque, in quingentarum millium, duarum, & quattuor millium librarum monetæ illarum partium pœnas iteratò damnari procurauit, quinimò Henricus, qui in ipſo citationis libello aſſeritur Romæ agere, iuſſus fuit

intra

Digitized by Google

intra nonum ab eo affixo diem Parlamento ſe ſiſtere, nulliter dicam, an ridiculè? verumque certè: citatio enim arctata nimis, & impoſsibilis, non ligat citatum, atque omnia ex ea ſequuta nulla ſunt. *Abbas in cap. cum dilecti filij de dolo. & contumacia num.* 2. Impoſsibile autem erat Henrico ſexcenta milliaria (tot enim Veſuntio Roma diſtat) accuendio decurrere, & ridiculum prorſus erat ab eo exigere, vt intra nonum diem compareret Do'æ, cum vigeſimo tantum primo per veredarium ad eum Romæ exiſtentem, citatio peruenire poſsit.

Interim antedictus Dominus Argelus, latam excommunicationis ſententiam in Marinum affixis publicè, & multoties, tum Romæ, tum Biſuntij libellis, aggrauauit, cum inuocatione brachij ſecularis, & cum ſuæ appellationis cauſam, & cauſas Marinus ſubreptitiè impetraſſet breui committi, Illuſtriſsimis Archiepiſcopo Biſuntino, & Epiſcopis Lauſanen. & Baſilien. ſignatura Iuſtitiæ eaſdem ab illis auocatas, commiſit Sacræ Auditorio Rotæ, cum clauſula parito Breui, non obſtantibus latè deductis, & allegatis nomine illius in Signaturis Gratiæ, & Iuſtitiæ, tam de bono Iure, & priuilegijs Burgundiæ, quàm circa clauſulam, *non tamen vltra tres dietas*, non enim obſtat Priuilegium Leonis X. de non euocando Belgis, & Burgundionibus conceſſum, excipit enim beneficia, tum quorum valor 24. ducatus annuos excedunt, (Prioratus autem de Vauclusa valet trecẽtis) tum quæ reſeruata ſunt Apoſtolicæ Sedi, quale eſt iſtud, cum ſit commenda, clauſula verò non vltra tres dietas operatur vero reſpectu inferiorum iudicum, & executorum, non autem reſpectu Auditoris Cameræ, cuius per totum Orbem iuriſdictio ſe extendit. *Gratz. particula 6. cap.3.num.12. & Barboſa clauſula 53.nu.4.*

Qua omnia tam ægrè habuerunt Marinum, vt cum ſententiæ Illuſtriſsimi Argeli à Signatura Sanctiſſimi Domini Noſtri confirmatæ, de qua nullum ei poterat ſubeſſe dubium obtemperare debuiſſet, animæ ſuæ conſulere, atque ad gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ redire inflictis in eum excommunicationis pœnis non perterritus ſed magis pertinax factus, peccata peccatis addens, crimina criminibus ad eoſdem Iudices laicos denuò confugerit, atque Maximo Chriſtiani populi ſcandalo, læſione Eccleſiaſticæ immunitatis Regij, & Catholici nominis iniuria, contemptu Romanæ Sedis, ab ijs impetrauerit decreta 20. Decembris 1646. & 7. Maij Anni 1647. quibus Iudices laici præfati Henricum, & Iacobum Sacerdotes tota præſcriptos Burgundia perpetuo mulctant exilio, vltimo in redeuntes ſupplicio interminato, ſed ipſum decretum accipe.

In cauſa vertente coram ſuprema Curia Parlamenti Dolani, inter Dominum Ioannem Simonem Froiſſard de Broiſsia in Comitatu Burgundiæ, & in Parlamento Dolano Maieſtatis Catholicæ Procuratorem Generalem actorem, in materia contrauentionis ſupremarum ordinationum Comitatus Burgundiæ, prohibentium afferri, admitti, aut exequi facere, Bullas, ſententias executoriales, aut quaſuis alias prouiſiones Apoſtolicas in iſta prouincia abſque licentia, aut in iudicium vocare aliquem ex ſubditis dictæ Prouinciæ ad Romanam Curiam quauis de cauſa, attentata contra authoritatem Maieſtatis Catholicæ crimina, & delicta ex vna, & Dominum Iacobum Othenim Sacerdotem Priorem de Autrey ex altera.

Viſis ſcripturis concluſionum dicti actoris alijſque ijs annexis, nec non contumacijs per eum obtentis ſub diebus 11. & 25. Auguſti. 19. Nouembris, & 30. De-

cembris

Digitized by Google

cembris præſentis anni, Curia exulat in perpetuum dictum contumacem à Prouincia ſub pœna vltimi ſupplicij, ad hoc illum condamnando, & ad omnes litis expenſas, pro vt taxabuntur à Commiſſario ab ipſa Curia deputando, mãdando primo Apparitori requiſito, quod omnes executiones neceſſarias faciat, pronuntiatum iudicialiter in audientia dictæ Curiæ die 20. Decembris 1646. ſignatum I. Richard.

Sententia contra Henricum ijſdem verbis, eodemque tenore lata fuit ſeptimo Maij anni ſequentis, quo die Eccleſia feſtum celebrat Sancti Staniſlai, ob defenſam Eccleſiaſticam Immunitatem (ob quam tam ſæuã patitur perſecutionem Henricus) martyrio affecti, in vim ſententiæ vtrinſque bona tũ patria tum Eccleſiaſtica Fiſco (qui etiam num illis gaudet) addicta fuerunt.

E quibus omnibus manifeſto conſpicitur violentus, & tribunitius Spiritus D. Præſidis, inducentis Parlamentum alioquin Catholicum in Prouincia Catholica, atque hæreditaria Regis Catholici ſitum, vt in Sacerdotes Catholicos ſæuiret, iudicaret per impreſſionem, immunitatem Eccleſiaſticam confringeret, contemneret Sedem Apoſtolicam eiuſque mandata, Concilium Tridentinum violaret ſub prætextu ordinationum ab ipſo Præſide compilatarum, quæ Authores fautoreſque earum tantummodo Eccleſiaſticis cenſuris ligant, non Henricum, non Iacobum, hic enim literas ſolummodo Apoſtolicas exhibuit Parlamento Dolano, illudque orauit licentiam mandandi eas executioni, qui autem petit licentiam agendi, quid mali fecit? honorem enim, & reuerentiam exhibet illi, à quo eam requirit, iniuriam non infert, neque punitur nuntius offerendo præces nomine ſui principalis, cum non ſuo, ſed alieno nomine offerat eas, *Farinacius in praxi part. 1. de delictis quæſt.* 24. Demum

24. Demum ſi quodquam peccatum fuit, & Iacobus literas Apoſtolicas, & monitoriales exhibuerit ſolummodo parlamento, petita facultate eas exequendi, Parlamentum verò eas admiſit decreuit exequendas; certè nemo non confitebitur grauius longè ab ipſo Parlamento, quàm à Iacobo peccatum fuiſſe, ille verò poteſt ne ſententia inualida, & nulla teneri? talis enim ſententia parlamenti fuit, fundata nempè in ſtatutis contra libertatem Eccleſiaſticam, atque ipſammet Religionem Catholicam à laicis factis & publicatis quæ ipſo iure nulla ſunt: *cap. Eccleſia, cap. quæ in Eccleſiarum de conſtitutione: cap ſi nouerit cap. grauamen. de ſententia excommunicationis cap. vltimo de Immunitate Eccleſiaſtica in 6. & cap. de Sacroſancta Eccleſia authentica caſſa.*

Dicitur autem ſtatutum contra libertatem Eccleſiaſticam quando per illud laici contra Eccleſiaſticos fiunt audaciores, & Eccleſiaſtici timidiores: *Bart. & Angelus in lib. 1. §. qui oneranda ff. quarum rerum actio non detur, Abbas in dicto cap. cap. ſi nouerit, Felinus in cap. Eccleſia num. 69. de conſtit.* ſeu vt alij explicant, quando tali ordinatione derogatur iuri communi vel priuilegio Eccleſiarum, *vt in dicto cap. Eccleſia, & ibi Canoniſtæ: Suares de cenſuris diſp. 21. ſec. 2. num. 93.* vt cum ſuperior aliquis laicus ſtatuit aliquid de re, aut perſona Eccleſiaſtica aut onera imponit Eccleſiaſticis, aut in illos, aut in Eccleſias aliter ſuam iuriſdictionem oſtendit, ſiuè illa præiudicia directè aut indirectè inferat per illam ordinationem: *Vide Suares in leg. cap. 34. libri tertij num. 3. Tolet. lib. 1. cap. 38. Layman. lib. 4. tractatu 9. num. 3.*

Ex cap. nouerit 49. de ſentent. excommunicationis excommunicatio eſt latæ ſententiæ, contra eos qui fecerint

Digitized by Google

cerint ſeruari ſtatuta, vel conſuetudines introductas contra libertatem Eccleſiaſticam, niſi ea de capitularibus ſeu libris ſtatutorum fecerint amoueri.

Item contra Scriptores, & ſtatuarios talium ſtatutorum, item contra Conſules, Poteſtates, Rectores, Conſiliarios locorum vbi talia ſtatuta, aut conſuetudines edita fuerint vel ſeruata, item contra illos qui ſecundum illa præſumpſerint iudicare, aut in publicam formam ſcribere iudicata.

Ex cap. 15. Bullæ in Cœna Domini excommunicatur qui ſtatuta, Ordinationes, Conſuetudines pragmaticas, ſeu quæuis alia decreta, in genere, vel in ſpecie, ex quauis cauſa. ex quouis colore, etiam prætextu cuiuſuis conſuetudinis aut priuilegij, aut aliâs quomodolibet fecerint, ordinauerint, publicauerint, vel factis, & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, aut in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouiſmodo reſtringitur; ſeu Sanctiſſimi Pontificis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, aut quarumcumque Eccleſiarum Iuribus, quomodolibet, directè vel indirectè, tacitè vel expreſſè præiudicatur, *& ex §. declarantes* eiuſdem Bullæ nulla abſolutio eis ſuffragatur, niſi priùs dicta ſtatuta ſeu ordinationes publicè reuocauerint, & de capitularibus caſſauerint, & de tali caſſatione Papam certiorauerint.

Incurrunt in hanc cenſuram, qui vtuntur talibus ſtatutis ſeu ordinationibus, aut Iudices ſecundum ea iudicantes, aut procedentes, aut exequutores exequentes aut publicari exigentes: *Satyr. lib. 3. cap. 19. num. 10. Duard. quæſt. 24. num. 1. ſuper hoc cap. 15. Bulla a lterius rap. 3. colum. 8. Felin. tract. 16. num. 268.*

Ex authentica Caſſa de Sacroſancta Eccleſia ſtatuitur, vt qui per annum contumaces fuerint in non reuocandis

ćandis ſtatutis contra libertatem Eccleſiaſticam factis de capitularibus delendo bona illorum per totum imperium ab omnibus occupentur, ſi quis per annum obſorduerit in excommunicatione incurſa ob præfatam violentiam immunitatis Eccleſiæ incurrit bannum Imperiale, a quo non extrahitur, niſi abſolutione Eccleſiaſtica præcedente à cenſura, hæc autem pœna banni Imperialis perſonalis operatur, vt reus ſit priuatus omni iuris beneficio, & conuerſatione Ciuium Romanorum, & eſt infamis.

In eadem Authentica Caſſa, Statuarij, & Scriptores, & Iudicantes ſecundum ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam, ſunt ipſo iure infames: vnde illorum actus ſunt nulli.

In cap. Grauamen. de ſententia excommunicationis ſtatuantes contra libertatem Eccleſiaſticam ſi contumaces exiſtant, priuantur fœudis quæ ab Eccleſia tenent propter feloniam ſeu ingratitudinem, & hanc pœnam eſſe latæ ſententiæ tenet *Abbas in cap. Grauamen. num. 4. de ſententia excommunicationis*, neque illa recuperabit per abſolutionem à cenſura *Goffr. & Cardin. in dicto cap. Grauamen. num. 4.*

Iam verò Bulla Leonis Decimi, quæ eſt Conſt. 30. incipit in ſupremi, primo reuocat omnia ſtatuta Prælatis Eccleſiaſticis, Communitatibus locorum conceſſa, de non exequendis Litteris Apoſtolicis ante approbationem ſeu beneplacitum illorum deinde prohibetur omnibus Eccleſiaſticis ſub pœna excommunicationis, & Communitatibus locorum ſub pœna interdicti ne præſumant quoquomodo impedire exequutionem Litterarum Apoſtolicarum. Item præcipitur quibuſcumque perſonis etiam Regibus, Imperatoribus, & Epiſcopis, ne ad tale impedimentum conſilium, auxilium fauoremque

que præſtare præſumant ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Papæ reſeruatæ, item vt tranſgreſſores a dictis excommunicationibus in articulo mortis abſolui tantum poſſint præſtita ſatisfactione.

1 Atque eadem eſt mens Bullæ in Cœna Domini cap. 14 quę à cœtu piorum abigit eos, qui modo quocumque impediunt executionem Literarum Apoſtolicarum ſiue executorialium proceſſuum, & decretorum, vel ſuum ad id fauorem, conſilium, vel aſſenſum præſtant, prætextu quolibet, vel prohibendæ violentiæ, vel informandi Pontificis, ei ve ſupplicandi, niſi ſupplicationes a ſe prætenſas coram eodem Pontifice, & Apoſtolica Sede legitimè proſequantur, etiam ſi talia conſtituentes fuerint Præſides, Cancellarij, Conſiliarij quorumcumque parlamentorum, aut Principum, etiam Regum, & Imperatorum, vel Archiepiſcoporum Epiſcopi Abbates, Commendatarij, ſeu Vicarij.

Ex cap. 13. abdicat à parente Eccleſia, atque excommunicat omnes tam Eccleſiaſtici, quam laici fori viros qui curiam ſecularem appellando impediunt executionem Literarum Apoſtolicarum gratiæ, vel iuſtitiæ, ſeu quorumcumque Decretorum à Papa, à Sancta Sede Apoſtolica, à Legatis, Nuntijs, Præſidibus Palatij Papę & Auditoribus, Commiſſarijs Cameræ Apoſtolicæ, alijſque Iudicibus Apoſtolicis emanantium, & à laica poteſtate, inſtante etiam procuratore, vel Aduocato Fiſci, appellationes ſuas admitti, ac literas præfatas, ſeu decreta retineri procurat impediuntque, & prohibent, vel ea executioni mandari ſimpliciter, vel niſi cum ſuo beneplacito, vel examine, aut impediunt, ſeu prohibent notarios ſuper tali executione inſtrumenta, vel acta conficere, aut facta parti cuius intereſt tradi, item qui partes, ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines

fami-

Digitized by Google

familiares notarios executores, ſubexecutores Literarum, ſeu Decretorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, vel detinent, aut á Ciuitatibus locis aut Regnis eijciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, vel comminantur per ſe, vel per alios, publicè, vel occultè.

Hæc omnia perſpectiſſima fuerunt Domino Præſidi, qui non inſcientia laborans, ſed affectu non bono errorem perennare maluit, quam reuocare, excommunicatione ſordeſcere, diriſque implicari, quam purum ſe á tanto præſtare ſcœlere. Atque vt videretur quo errorem tueatur habere; ait Bullam in Cœna Domini in Comitatu Burgundiæ receptam non eſſe, nullarumque in eo virium, cum nemo legibus non receptis obligetur, ſed errat grauiſſimum errorem, cum Bulla in Cœna Domini omnes omnino Catholicos, vbique & ſemper obligat, tanquam facta præcipua cauſa, vt vnitas, & Catholicæ Eccleſiæ puritas, & integritas retineatur, & cõſeruetur aduertit ex illius prœmio in quo verba amplectentia omnes fideles leguntur, & ſucceſſiuè in toto contextu *Satyrus de cenſuris lib. 33. cap. 3. num. 9. & ſeqq. Bonacina de cenſuris Bulla Cœnæ diſp. 1. quaſt. 2. puncto 4. num. 3. & puncto 5. num. 2.* comprobat cenſuras in illa dici latas a iure, & non ab homine, maximè verò in ijs prouincijs in quibus receptum fuit Concilium Tridentinum, quod tum confirmat eam tum conſtringit omnes ad eius obſeruantiam.

Ipſemet Dominus Præſes præter hoc cõmune Chriſtianorum omnium, ſpeciali vinculo ad eam obſeruandam eo tempore ſe obſtrinxit, quo in Conſiliarium Parlamenti Dolani adſcitus ad Sacroſancta Dei Euangelia iuramentum præſtitit tenoris ſequentis pro vt habetur in eius ſtatuario impreſſo Titulo 4. art. 16. pag. 4. lib. 1.

Ego

Digitized by Google

Ego N. Iuro Deo Omnipotenti, Patri, Filio, & Spiritui Sancto quod ſum, & volo permanere in Communione, & vnitate Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ, & Romanæ, & quod nulli hæreſi aut ſectæ adhæreo, & quod pro virili parte ijs ero contrarius, neque permittam meis ſubditis his adhærere, denique quod faciam ea, ad quæ de Iure Diuino, & ſcripto vir rectus, & iuſtus tenetur. Bulla igitur in Cœna Domini, iura inter ſcripta principem tenet locum, ſi violet condendo ſtatuta contra immunitatem Eccleſiæ illiuſque iura, & ſæuiendo in Sacerdotes inſigni ſe cõmaculat periurio, ſeparatus præterea à gremio, & vnione eiuſdem omnium fideliũ matris, cuius Diuinæ legis præcepto parere debet mandatis, decreta venerari, libertatem tueri. Atque hæc mẽs eſt non Bullæ huiuſce tantummodo aut SS. Canonum ſupra laudatorum, ſed Sacroſancti Tridentini aliorumq; Conciliorum, quæ huius indolis Statuta ſic damnãt prohibentque, vt ſolos authores fautoreſque ſuos ligent cenſuris, præterea neminem.

His tamẽ vtcumq; fœdis putridiſq; mederi conatus Do. minus Præſes palliendo excuſat, quæ execrari debebat, & condemnare, litteris enim Romã tranſmiſſis, ait præfata ſtatuta corroborare, & non deſtruere, immunitatẽ Eccleſiaſticam, ſuffragari, non aduerſari iuribus, & Fidei Eccleſiæ Catholicæ, quam præ cæteris Prouincijs Burgundia ſic tuetur ſtrenuè, & purè, conſeruat, vt in ea nemo non capite luat, fruſtuli carnis, aut oui vnius prohibitam comeſtionem vtcumque alias ad patriæ leges vitam componat, licet tanquam ea in obſeruãtia vniuerſa apud Burgundos lex, & prophetæ penderet. Gratulor quidem traditam ſemel à ſanctis Fidem puriſſimo latice in nobiliſſima illa prouincia decurrere, iiſq; illam decretis veluti aggeribus, & vallo muniri, quæ lutulẽtis turbidiſq; hæreſeos aquis ingreſſum prohibebat: miror tamen fidentiam animi Domini Præſidis, qui martiam

F tur-

Digitized by Google

turbam tam patum ſapere exiſtimat,& tam bardos ſtupidoſque homines Romæ exiſtere vt eos cenſeat credituros illi contra factum proteſtanti, atque aſſerenti ea eſſe veriſſima, quæ ſola ſtatutorum inſpectione mendaciſſima reperientur, immunitatem iuraque Eccleſiæ ab ijs præſeruari ſibi perſuadeant,quæ Sacros Canones,Sacroſancta Concilia,præcipuè vero Tridentinum peſſundant, Eccleſiaſticas Sanctiones, Bullaſque Pontificum violant, eademque iura, & immunitatem Eccleſiaſticã conculcant. Quid enim num licitum putat, atque ex vſu, & iure Eccleſiæ, vt Curia Sæcularis Parlamenti Dolani,nomine Regis Catholici in quacumque inſtantia de quibuſuis cauſis Eccleſiaſticis tam Ciuilibus,quã criminalibus,etiam fidei dogmatis cognoſcat, vt præſbiteros, & religioſos ſub mulcta pecuniaria alijſque penis adigat ad reddendam coram ea rationem prætenſi criminis,potiſſimum quando illorum contra Eccleſiaſticam libertatem ſtatutis obſequi noluerunt,non comparentes perpetuo mulctabit exilio? comparentes capite detecto, genibus flexis in Aula Iudiciaria publicè omnium irriſioni expoſitos Regij Aduocatus Fiſci verbis iniurioſis excipiet acerbis increpabit? contumclioſis dãnabit? veluti Diuinæ,& humanæ Maieſtatis reos? hæc qui aſſerit,aſſerat pariter Dominum Præſidem Eccleſiaſtica iura,legeſque tueri,ſuaque acta; & ſtatuta ad ea cum decernit relaxatq; mandata de capiendo contra Sacerdotes, ac Religioſos ſententijs inquam in eos ipſos inſæuiat,iubebit eos,ac alios inter ipſa veneranda Cęlo,& Terræ ſacrificia, in Eccleſijs propria authoritate capi,atq; lege in eos agi, quinimo plura longè ſunt, quam hic cõgeri,maiora,quam credi facilè poſſunt,quę horum; quę licita appellat ſtatutorum ſub vmbra perpetrantur; pręſcribunt ius Pontificium, beneficiorum naturam immutant Bullas, & prouiſiones Pontificias apud ſe retinent,& annullant, Summi Pontificis mentẽ de-

declarant, cognoſcunt de validitate votorum à religioſis emiſſorum, confratrias canonicè erectas ſupprimunt (vt nuper ſodalitiū ſub inuocatione Conceptionis Immaculatæ Virginis Indulgentijs, à Sancta Sede ornatū) vectigalia rebus Perſoniſque Eccleſiaſticis imponunt, Monaſteria viſitāt, præsbyteros ad omnes Parochiales Eccleſias vacantes examinant, quæ cùm fecerint, mirabitur quiſquam, tempus ab indulto Pontificio pręfixū nominationis à Rege ad petendam confirmationem Romanæ Sedis ab his prorogari, eoſdemue nominatos ſolius prætextu, & vigore nominationis regię, in poſſeſſionem beneficiorum mitti, & committi illis temporalium, & ſpiritualium adminiſtrationem, vt confirmationem Sanctę Sedis vel contemnant, vel negligant, occupantes & detinentes ſimul in titulum plura beneficia diuerſorum ordinum, non pręuijs licentia, & prouiſione Pontificis: defendi, & foueri, ac demum inquiſitori fidei preſcribi vt teſtimonia reorum etiā in cauſis fidei ad eos tranſmittat ab ijs ſine intetuētu aut ſcitu illius dijudicanda. Quodque non ſatis vnquam miteris ſtatuta hęc, hunc in modum ſacris aduerſantia Canonibus, Sacroſanctis Cōcilijs contraria, deſtructiua iurium Eccleſiæ, nedum ipſe Pręſes vidente, & annuente Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Claudio de Achey Archiepiſcopo Biſuntino executioni demandarit, atque in libro à ſe compilato edidit, ſed ipſam prętèrea illis ſcientiam mentemque Regum Catholicorū falsò pretextui, falsò, inquam, quis enim mortalium credet, eos qui omnia ſua poſt habentes religioni, tanto ſuorum regnorum diſpendio, fidei Eccleſiæque Catholicæ patrocinio, glorioſum titulum Catholici ſibi peperērunt voluiſſe conſentire, vt in ea prouincia, quę propriè ipſorum hęreditas eſt, & in qua ob populi (mitiſsimè ab his habiti) in eos fidem omnia poſſunt ſtatuta Catholico nomine indigna, & Catholicæ nociua Eccle-

 ſiæ

ſiæ euulgarentur? quòd ſi verò humani quid paſſi fuiſſent, quod nullo modo credendum eſt, certè Dominus Præſes illius militat ſub vexillo, qui verenda patris nudata, fratribus indicauit. illius ſtipendium, paternam, inquam maledictionem promeritus.

Ludos igitur facit Summũ Pontificem, literis nomine Parlamenti Dolani ad eum ſcriptis, religionem, probitatem, animi moderationẽ, obedientiam ſuam, ac totius Curiæ erga Sanctitatem ſuam, & Apoſtolica mandata commendans, aſſerenſq; ſe, ac illam non tam leges Ciuiles, quam Sacros Canones præſertim Concilij Tridentini Sanctiones, præ oculis in ſententijs ferẽdis habere, tantaque reuerentia Romanam colere Sedem, vt crimen apud eos exiſtat ſola morte piã dum de Orthodoxa Religione, aut Sacroſancta Romanæ Sedis authoritate male ſentire, vel perperam loqui, quid enim præfata ſtatuta commune habent, imò quid non habent quod pugnet, cum Sacroſãctis diffinitionibus Concilij Tridentini? Orthodoxam dedeceat religionem Romanæ Sedis authoritatẽ lędat, quibus quæſo Concilij Tridentini decretis, ac conſtitutionibus, fundat ſententias exilij, ſub pœna vltimi ſupplicij latás contra Sacerdotes in beneficialibus recurrentes ad Sanctam Sedem, ac ſuperius relata ipſo Duce?

Tota deiñ errat via, à propria ſcientia, & conſcientia ſi veritatem fateri velit, redarguitus, dum ait vigere in Burgundia priuilegium vſque in hodiernum diẽ inuiolatũ, quod incolæ illius non poſsint euocari ad Romanã Curiam, nullamq; illius cauſam in ea ventilatam fuiſſe.

Nam ad primũ quod attinet ſi verum id fuiſſet, Carolus V. Imperator, non fruſtraneis ſolummodò ſed dãnoſis præcibus à Leone X. impetraſſet indultum quod Leoninam vocant, quo indulget prouincijs Belgij, Comitatui Burgundiæ, & Ciuitati Veſuntioni, quod in cauſis beneficialibus, in prima inſtantia Romam euocari

non

non poſſent,cum expreſſa reſtrictiua,dummodo beneficia non excedant valorem annuum 24. Ducatorum,aut nō ſint reſeruata,nempe ſibi,& prouincijs ſibi ſubiectis plurimū intuliſſet detrimēti plurimū vtriuſq; iura læſiſſet,ſua quod ſuo ſeſpolians iure ad S.Sedē ea popoſciſſet,quę copioſius iā gaudebat,atq; ipſe propria authoritate ſi Pręſidi credatur poterat in ampliori forma cōcedere : illarum quod ampliſſimū priuilegiū de incolis quacumque cauſa non euocandis ad Romanam Curiā, nec alibi extra eas , breuiſſimis concluſiſſet cancellis , & vniuerſalem omnium cognoſcendi cauſarum beneficialium poteſtatem , ad cognitionem non exceden-tium 24.ducatorum,idque in prima inſtantia,atque intra annum terminanda reuocaſſet,hoc qui ſuſpicari poteſt de Carolo V. ſummæ prudentię viro,patriæ amantiſſimo principe , & priuilegiorum illius tenaciſſimo , Domino Præſidi ſua citra fidem narranti credat .

Alterum vero longiſſimè à vero abeſt,cùm & hoc, & ſuperiori ſæculo,cauſæ plurimæ Comitatus Burgundiæ in Sacro Rotę Auditorio introductę,& terminatæ,quin imo ipſimet Sanctiſſimo D.Innocentio X. ad quem inuerecunda fronte hęc ſcribunt nonnullę commiſſæ fuerint, aliæ Rotæ Auditoribus inter quas à Concilio Tridentino ſequentes.

Anno 1563 parochialis Eccl.de Guiās 1564 hoſpitalis de Pōtarlier 1565.parochialis Eccleſię de Cordets 1566 matrimonij pro Nicolao de Sauignij 1567. Cappellania de Cāpo bono 1570.matrimonij 1571 beneficij de Eſcoles 1573. Prioratus ſeu hoſpitalis S. Ludouici de S. Colūba 1575. parochialiū Eccleſiarū de Conflans, & de Luxouio 1578.matrimonij 1579.matrimonij 1580.capellania loci de Faucougney 1581.parochialis Eccleſia de Bletterans 1584.Prępoſiturę S.Anatolij de Salinis 1585 Biſuntina beneficiorū 1589.parochialis Ecc. de Auēnes 1590.parochialis Ecc.de Vaires 1592.prioratus de Iliaco

1595. ſeparationis thori 1599. augmenti dotis 1601. Biſuntina paroch. Eccl. de Pontarlier 1602. vnionis monaſterij 1605. paroch. Eccl. S. Martini de ſancto Martino 1608. legati pij 1610. iuris conferendi beneficia 1612. exceſiuę liquidationis corā Sanctiſs. D. N. Innocentio X. quando erat Rotę Auditor 1617. executionis fructuū 1624. iuris paſculi 1626. pecuniaria 1627. paroch. Eccl. de Conlieges 1629. Biſuntina Prioratus S. Petri de Ioux ordinis S. Benedicti pro Rectore, & Collegialibus Collegij Dolani Societatis Ieſu contra Abbatē S. Petri de Balma corā Dunoſetto etiā nunc pendet in Rota 1632. decimarum 1633. contributionis 1641. decimarū 1643. Prioratus 1645. beneficij 1648. Biſuntina Theſaurariæ pro D. Ioanne Ignatio filio Domini Ioannis Simonis de Broiſard Procuratoris Generalis in Comitatu Burgūdia 1651. deciſio in cauſa Theſaurariæ.

Multęq; aliæ cauſę, ac deciſiones in cauſis Comitatus Burgundiæ in actis Notariorum Rotę reperiuntur.

An non hęc abunde ſufficiunt ad D. Pręſidem erroris redarguendum, atq; oſtendendū cauſas Burgundiæ Comitatus Romam ſeu delatas, ſeu euocatas, Romę iudicatas fuiſſe? quod tamē ſerio obſerues cupio, hoc in agmine, neminem habes damnatum rebellionis, bonis exutum, exilio mulctatū reum capitis ſi in patriā redierit, pręter vnū cum fratre Henricum + filium; quod aduerſariū ad Romanā Curiā vocaſſet, nempe D. Pręſidis, cum ijs ſolis contentionis funem trahentis intererat, eos ſolos tāta iniuſtitia damnari, nam ecce tibi quod nouiſſimus agmen claudit D. Ioannes Ignatius Froiſſard, miſſus à Patre Romā, vt iura peteret in cauſa Theſaurarię Biſuntinę, Reuerendiſs. Capitulo Biſuntino, & ſingulis illius Canonicis Burgundis diem ſcripſit, eoſdē ad vrbē euocauit, Ioachino de Poitiers aduerſario illius Parlamētum Dolanum Præſidemq; & Regij Fiſci Procuratorem Ioannem Simonē Froiſſard Patrem Ioannis Ignatij vt

tribu-

tribunali Romano Ioanni Ignatio interdicerent, fruſtra interpellante, cauſa igitur Romæ vẽtilatur, ſentẽtia profertur, Ignatius Froiſſard nullius criminis arceſſitur. Sit pro ratione voluntas.

Si dicant ſua loqui ſtatuta de beneficijs in Comitatu Burgundiæ, non vero in Ciuitate Biſuntina ſitis, certe, vel negare debent Biſuntinos gaudere priuilegijs Burgũdię, vel fateri ea ſtatuta ad illos, & beneficia in dicta Ciuitate ſita extendi, nam cum Dominus Præſes priuilegiorum ijs nomen impartitur, concedere debet, vel à Pontifice conceſſa fuiſſe, vel ſe ipſo, vel à ſimilis ingenij homine conficta, ſi primum, Ciuitas Biſuntina gaudebit illis, pro vt omnibus alijs gaudet gratijs, & priuilegijs Regijs, & Pontificijs Burgundię conceſſis, vt videre eſt in Leonina alijſque indultis nominandi ad beneficia Conuentualia Belgij, & Burgundiæ cõceſſis Hiſpaniarum Regibus Catholicis, ſi alterum, nulla ſunt nulliuſque valoris, neminem ligant, neque eorum prætextu debuerunt Henricum fratremque vapulare.

Sed extra fidem eſt, quod nõ multo poſt hæc tẽpore, nullo exẽplo, ſumma autem impudentia dicã an impietate? auſus eſt, nam vt poſſeſſionẽ Prioratus de quo agitur, filio ſuo Marino, quo iure qua iniuria conſeruaret, nedum rebellẽ ſe præſtitit decretis Romanæ Sedis, populoq; reuerendiſſimo ipſius præiuit, vt iura, ſentẽtias, fulmina illius neglectui haberet, ſed omnes modeſtiæ fines prætergreſſus, Benigno de Thomaſſin, Decano Eccleſiæ Collegiatę Dolanæ, homini leuiculo, Sacroſanctã Summi Pontificis perſonam aptauit; nam cum executio Litterarum Apoſtolicarum, non verificatis verificandis nulla exiſtat, ac propterea ne gratia ſubreptitia dicatur, neceſſaria eſt iuſtificatio narratorũ: *Rot. deciſ. 295. nu. 2. diuerſ. corã Panſirolio*, & facta in fauorem excõmunicati publici, & notorij prorſus inualida, *Rota deciſ. 283. n. 19. diuerſ. coram Merlino*, & facultate executoris executione Litteris Apoſtolicis data expirante, ipſe iã amplius

non

non iudex ſed priuata perſona, vlterius ſe nō poſſit cauſæ ingerere. *Rota deciſ. 11 n. 3. & 4. diuerſ. coram Coccino*, quod longè veriſſimum eſt in cauſa Henrici contra Marinū, quæ reſcripto ſignaturæ iuſtitiæ ipſiusq; Marini Procuratore, & Aduocato informantibus auocata fuerat à quibuſcumq; iudicibus, & cōmiſſa Rotæ cū clauſula pari to Breui. His tamē non obſtātibus, Benignus deputatus à Sāctiſſimo Bullarū ſuper Prioratibus de S. Marcello, & de Vaucluſa à Marino ſubreptiuè obtentarū executor, nedū eas ad fauorē Marini, quē ſciebat eſſe excommunicatū publicū, & notoriū mandauit executioni, neque ſeruata iuris forma, neque verificatis verificandis, quod alter eſſet Conuētualis, atq; vt actu habens conuentū Illuſtriſs. quondam Ferdinando de Ryé collatus fuiſſet, alter verò legitimè, & realiter ab Antonio de Batteſort ad obitū vſq; poſſeſſus, quod vtrumq. erat, & eſt falſiſſimū, ſed biēnio poſtquam delegata illi facultas executoris ceſſaſſet, tū illā exercuit, tum Apoſtolicā authoritatē inuaſit, auſus declarare excōmunicationem Romæ emanatā contra Marinū nullius roboris eſſe, neque illū ligare, & Henrico fulmē intorquere, niſi à cepta Romæ cauſa deſiſteret, & bona fide vt referamus, quæ ipſe citra fidē geſſit, ecce tibi programā, quod typis mādare, & publicis affigere valuis ſuſtinuit.

« Nos Benignus de Thomaſſin, Conſiliarius Eccleſiaſticus in Curia Parlamēti Dolani, & Eccleſię Parochialis, & Collegiatę oppidi de Dola Decanus, Iudex Cōmiſſarius, & executor hac in parte, & ſub nomine officij, ac dignitatis noſtræ à S. D. N. Papa Innocentio X. cōmiſſus, ac deputatus. Vniuerſis notum facimus, & atteſtamur, nos virtute Bullarū, &c. Dominum Marinum Boyuin in veram realem ac actualem poſſeſsionem Prioratum de Sancto Marcello, & de Vaucluſa immiſiſſe, pro vt in noſtris litteris executorijs ſub die 21. Aprilis 1646. plenius continetur; quo circa declarauimus, & denuò declaramus per præſentes, non debuiſſe dictum Marinum

Boyūin

Boyuin dimitte re poſſeſſionem prælibati Prioratus de Vaucluſa, prætextu eiuſdem decreti de adipiſcenda poſſeſſione nomine Cameræ ad inſtantiam Domini Henrici Othenim præsbiteri ſubreptiuè impetrati, nec etiam debuiſſe eundem Dominum Marinum Boyuin Romæ comparere de ſua poſſeſſione reſponſurum, &c. Idcirco ſententiam excommunicationis à Locumtenente Reuerendiſſimi Auditoris Apoſtolicæ Cameræ aduerſus dictum Marinum Boyuin, & ſubſequentes aggrauatoriam, & reaggrauatoriam cum inuocatione brachij ſæcularis, irritas, & innanes, & per attentata ſubreptiuè, & obreptiuè extortas, & emendicatas decernimus, & denuntiamus. Cumque à prædicto Marino Boyuin requiſiti fuerimus eiuſdem Domini Henrici Othenim eius Procuratorum ac eis adhærentium temeraram contradictionem qui Marinum Boyuin excommunicatum, & aggrauatum ob non demiſſam prædicti Prioratus de Vaucluſa poſſeſſionem audent aſſerere, & populo perſuadere conantur, atque tam priuatim, quám publicè authoritate propria, & indebita affirmare, diſtrictè inhibemus authoritate Apoſtolica nobis, vt præmittitur commiſſa dicto Domino Henrico Othenim, eiuſque Procuratoribus, factoribus fautoribus, atque alijs quibuſcumque, ne in poſterum tale quidquam præſumant attentare, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrēdæ declarantes inanes, ſubreptitias obreptitias euidenter nullas præfatas excommunicationis, & aggrauationis ſententias, & quidquid contra ſupradictas Bullas à nobis legitimè demandatas executioni, & eiuſdem Domini Marini Boyuin liberam Prioratuum ſupradictorum in quam immiſſimus poſſeſſionem contigit hactenus aut deinceps contigerit attentari, qui ſecus fecerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, &

Pauli Apoſtolorum ſe nouerit incurſurum, in quorum fidem, &c. Datum Dolæ ſequanorum in ædibus noſtris die 28. Auguſti 1648.

Signatum. B. de Thomaſsin.

Locus ✝ Sigilli.

Claudius Merceret Notarius.

Quàm plurimis viſum fuit nō admiratione ſed Gyaris dignum facinus, alij autem, qui ſe pœnitus in rem dimittebant, iam tunc clarè decernebant, quod antea obſcurum non erat, Benignum ideo electum fuiſſe à Domino Præſide in Conſiliarium Eccleſiaſticum Parlamēti Dolani, vt totus ad illius arbitrium dedolatus, illius, & filij rebus, atque vtilitati ſeruiret, & certè cum Dominus Præſes immemor præſtiti ad Diuini eloquij tabulas iuramenti, quo Deo, & Regi promiſerat ſe totius prouinciæ digniores nominaturum ad officia Parlamēti, Benignum quem multi multis paraſangis antecedebant vix, & ne vix quidem mediocribus aptum ſubſellijs reus periurij ſelegiſſet, vt à conſilijs Parlamento eſſet; dignum planè erat, vt non vno iniuſtitiæ crimine, ſed impudentiæ inauditæ, contumaciæ in ſacrorum principem, impietatis in ſummum Pontificem ſe cumularet Benignus, vt vicem illi rependeret.

An igitur declarationem Benigni validam fatemur? eſto fuerit (quamuis nemo non dixerit illam futilem plurimæ plenam inſaniæ, nullius roboris) non tamen propterea ſequetur Marinum excommunicatione ligatum non eſſe, atque ſordeſcere, nam licet eum declararet Benignus non debere dimittere poſſeſsionem Prioratus de Vaucluſa, prætextu eiuſdem decreti de adipi-

ſcendâ

Digitized by Google

ſcenda poſſeſsione nomine Cameræ Apoſtolicæ, ſententiam Locumtenentis Auditoris Cameræ irritam, & inanem, & excommunicationis illius nullam, non tamen eum abſoluit, neque abſoluere potuit ab excommunicatione ab eo incurſa, & in eum publicata, quod recurriſſet ad Iudices laicos: hac adhuc ſordeſcit, huius ipſe Benignus reus eſt, quod literarum Apoſtolicarum executionem impedierit, atque eas impetrantes, & petentes iura à Romana Sede excommunicaſſet, vterque tamen alter Decanus, Canonicus alter Eccleſiæ Dolanæ, maximo fidelium ſcandalo, Dei offenſa, Eccleſiæ contemptu ſacris interſunt, & faciunt, vidente, & permittente Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo Domino Claudio d'Achey Archiepiſcopo Biſuntino, qui ad valuas, ac aliarum ſuæ dioc. Eccleſiarum affigi annuit mandata Benigni caſſatoria mandatorum Curiæ Romanæ, & præterea Marino excommunicato publico, & denuntiato, beneficia contulit, atque in eorum præſidiſque gratiam Iacobum Henrici fratrem qui vt vincula cruemque ipſi propter immunitatem Eccleſiaſticam à Parlamento Dolano intenta fugeret, in Ciuitatem Imperialem Biſuntinam ſe receperat, per Iulium Chifflet Procuratorium ſuum Generalem iteratis vicibus monuit, vt ad ſuam reſidentiam pergeret, tametſi haberet perſpectiſsimum, id ab eo niſi præſentaneo capitis periculo fieri non poſſe, atque vt afflictionem adderet afflicto, vel vt potius afflictiſsimum diſperderet, eum Decanatu rurali de Fauernei ſpoliauit, neque hiſce ſe finibus concluſit, illius vel auerſus animus à Romana Sede, vel Sacrorum Canonum contemptus, nam in Synodo Prouinciali ſua in præſentia, per dictum Iulium Chifflet proponi curauit decernendum, ne quis in diœceſi Biſuntina admitteret, vel executioni mandaret Decreta, vel man-

data Curiæ Romanæ, non præuia licentia ordinarij, cumque maior ſaniorque pars ſynodi reieciſſet propoſitionem tam inſanam, intulit à ſe illud conſultò factum, vt impediret Henrici, & Iacobi recurſus ad Sanctam Sedem, & certè multum habet argumenti ad trepidandum, & iure meritò timet, ne ad dimiſſum ab eo propria authoritate, & abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, Cucullum Ordinis Sãcti Benedicti, per ipſum duodecim annos, & vltra poſtquam prius inſtitutum venerandæ Societatis Ieſu reliquerat profeſsi condemnetur, beneficia in quibus intruſus eſt cedere cogatur, de negligentia arguatur, à quatuordecim annis, quod eſt Archiepiſcopus Biſuntinus, ne quidem vnum Altare in ſua Diœceſi, quæ eſt octingentarum ferè Eccleſiarum Parochialium per ſe aut per alium viſitauit, nihilo tamen minus arrepta Anno 1645. occaſione cuiuſdem viri equ Vrbani, ac nobilis Romam proficiſcientis, eum orauit, vt ſuo nomine limina Apoſtolorum viſitaret, ac traderet Sanctiſsimo copiam proceſſus viſitationis ſuæ diocæſis factæ ab vno ex ſuis prædeceſſoribus mutatis ſolummodo, tempore, & alijs circunſtantijs, quæ illum ab ipſo confectum mentiebantur, atque de ommiſsis, & commiſsis ab eo, quæ ſunt ſibi ipſi, ac Sacræ Congregationi immunitatis Eccleſiæ optimè nota condemnetur, ſi inquiſitio in eum Romanæ Sedis authoritate fiat, excuſat ſe, conuentione à quodam ſuo anteceſſore Archiepiſcopo inita cum Parlamento Dolano, qua ſuam eidem Parlamento iuriſdictionem cedit, mirum igitur non eſt, ipſum ſibi commiſſo gregi non attendere, Eccleſiaſticæ violatores immunitatis, Sacrorum contemptores Canonum, Cenſurarum irriſores non reprimere, ſed fouere illiſque adhærere: mirum non eſt ſi Parlamentum in iuriſdictionem inuolet Eccleſiaſticam

ſi homi-

ſi homines laici iactabundè aſſerant ſe Bullas, & Breuia Apoſtolica velle corrigere, qua parte ſuis ſtatutis contraria reperientur, vel ſi Pontifex illorum ſtatuta reformare tentauerit, ſi dicant Pontificem, ſi ſua iura defenſa velit conſtituere, debere ſibi Procuratorem in Curia Dolana, qui illa defendat, ſi Eccleſiaſtica iura, vt ſupra vidimus, flocci faciant, & conculcent, ſi dicant eſſe crimen læſæ Maieſtatis Catholicæ, ad Sanctam Sedem quacumque de cauſa recurrere, ſi ipſum demum Archiepiſcopum ſuſpenſam tantummodo hederam paſsim appellant.

Atque dicto Archiepiſcopo, Lauſanenſi, & Baſilienſi Epiſcopis, eorumque officialibus generalibus Marinus prætenſæ ſuæ appellationis Breue ſubreptiuè obtentum ſub die quinta Iunij 1646. committi cum procuraſſet, dictus Archiepiſcopus tametſi eſſet manifeſti iuris, delegatum non poſſe ſubdelegare, vt tamen præſidem faceret ſuum 12. Auguſti eiuſdem anni, cauſæ huic cognoſcendæ ſubdelegauit Marcum de Valimbert, Canonicum Eccleſiæ Biſuntinæ, tum gratum dicto Præſidi, tum à cauſa Henrici auerſum, vt pote qui dignitatē Cō-Ftdn ſiliarij Eccleſiaſtici in Parlamento Dolano opera, & ope eiuſdem præſidis aucuparetur, & propterea totus ab illius nutu pendebat, atque occupato contra iura Monaſterio Abbatiali de Bitaines, pari in cauſa, & crimine, Archiepiſcopo Abbatia Montis Benedicti, & Marino Prioratu de Vaucluſa, & de Sancto Marcello inuaſoribus facile accedebat, poſtero enim hoc eſt 13. die Auguſti, mandauit citari Henricum ad diem 26. Nouembris eiuſdem anni, citatione fratri eius Iacobo 21. Auguſti notificata.

Interim Signatura Iuſtitiæ, vtraque parte informante, & plenè audita, ſic nullum, & ſubreptitium declara-

uerat

Digitized by Google

uerat Breue commiſsionis à Marino obtentum; ac ſi nunquam emanaſſet, cauſamque cum clauſula parito Breui commiſerat Sacro Rotæ Auditorio, quod die 10. Nouembris eiuſdem anni ipſi Marco præſenti, & audientinotificatum fuit, ipſique authoritate Apoſtolica præceptum, vt ſub pœna excommunicationis, ac mille Ducatorum auri de Camera à prætenſa cognitione ſubdelegatæ ſibi, vt prætertur, cauſæ abſtineret, ſed ipſe nullo, vel Sedis, vel mandati Apoſtolici reſpectu, vtriuſque verò, & latæ excommunicationis contemptu ſummo, Marinum 13. Nouembris nempè præſtituto à citatione die, à cenſuris abſoluit, Henricum declarauit contumacem, & denuò ad diem 18. Februarij 1647. citauit.

Nemo tamen niſi exhauſta prorſus fronte, dicet Marinum à cenſuris abſolutum, nam etiam ſi valida fuiſſet ſubdelegatio facta Marco, prius tamen eum priuauerat Apoſtolica Sedes, quam ipſe Marinum abſoluiſſet: clauſula autem teque abſoluentes ad effectum harum in Breui appoſita, efficit quidem quod potuerit audiri Marinus, non autem ad alios effectus abſolui à cenſuris, quibus adhuc tenetur, & ſordeſcit, cum huiuſmodi clauſula non iuuetur violator immunitatis Eccleſiaſticæ, & inſordeſcens iuxta Regul. Cancell. 66. *Rot. deciſ. 112. num. 7. poſt 2. lib. conſ. Farinac.* maxime ſtantibus declaratorijs relaxatis cum aggrauatoria, & reaggrauatoria quo caſu etiam taliter excõmunicati ex alijs cauſis, nec iuuatur tali clauſula. *Maceraten. variar. reſolut. lib. 1. reſolut. 24. num. 14.* & de exordeſcen. vltra quatuor menſes ſubſtinentes cenſuras *Pariſ. de reſign. lib. 4. quæſt. 3. num. 57 & 58. & lib. 8. quæſt. 7. num. 112. & num. 115.* vbi quod nec ſuffragatur violare Literas Apoſtolicas, qua igitur conſcientia, quo iure

eum

Digitized by Google

eum cum Benigno tolerat Archiepiſcopus, & Diuinis intereſſe officijs iubeoet, ſacriſque operari? fruſtra enim cauſatur præceptum ſibi in Breui reuocatorio commiſſionis à Marino obtentæ, ne ſe amplius huic immiſceat cauſæ, cum id illi alijſque in Breui Marini cõtentis præcipiatur quidem ne quidquam vigore illius ſubreptiuè obtenti decernant, aut controuerſiæ inter ipſum, & Marinum vlterius ſe immiſceant: non autem vt excommunicatos publicos, & notorios toleret, aut eoſdem pœnis à iure præſcriptis non caſtigaret.

Dum hæc aguntur, Iacobo nullius criminis, ne quidem in ſtatuta Parlamenti, quæ ſupra retulimus reo, (neque enim ea vnquam violauit) Regem poſcente ſua ſibi reſtitui bona ac libertatem ſumma iniuſtitia, & Catholici nominis oprobrio ablata, Libellus illius ſupplex remiſſus fuit Domino duſiof Conſiliario Eccleſiaſtico in Conſilio priuato Belgij, vt ipſo de ea referente Conſilium pro vt de iure ſtatueret, ſed arte, & aſtu effectum fuit, vt non prius ſibi commiſſo munere defungeretur, quam præſidens Roſa vir integerrimus abeſſet, ſciebant enim virum optimum, quem latere dolus non poterat, nunquam admiſſurum, iniuſti quidquam ipſo præſente decerni: ipſe enim cum alijs implicitus negotijs abeſſet, Conſiliarius duſiof contenta in libello explicauit. Reſolutum fuit annuendum petitioni Iacobi, dummodo frater illius Henricus ceptis Romæ deſiſteret, Regemque commiſſi criminis veniam oraret, ſcilicet eſt crimẽ leſæ Maieſtatis Catholicæ, Catholicum eſſe, & violati Iuris Regij iura illius, per quem Reges regnant defendere, certè actiones ſunt perſonales, & anima, quę peccat ipſa mori debet, non frater fratris iniquitatem portare, ſi igitur in veſtra vt vobis placet ſtatuta impegit (hoc enim in caſu, neque Diuinam, neque Eccleſiaſti-

 cam,

cam, neque Regiam Maieſtatem læſit) Henricus: neque Iacobus peccauit, cur Iacobus Henrici vices luit?

Sed parum illis fuiſſet, ſi artes, & auſa ipſorum ad opprimendum cum Henrico Iuſtitiam in Belgio, & Burgundia ſtetiſſent, & non excurriſſent in Hiſpaniam, vt Regi ludum ſuggererent, & conqueſti priuilegia Burgundiæ violari, commouere tentaſſent in Henricum, ſua autem Maieſtas pro ſua ſumma pietate, & prudentia, non quod ipſi cupiebant, graue aliquid in eum ſtatuit ſed Excellentiſsimo Domino Comiti de Ognate, ſuo apud Apoſtolicam Sedem Oratori mandauit, vt ſumma intenderet cura, ne detrimenti ea quid quam paterentur, Comes vt Regio mandato obediret, vtrique edixit parti, vt ſua iura deduceret coram Illuſtriſsimo Roias Hiſpano, Sacræ Rotæ Auditore: cui curæ eſſet, factum ſecundum veritatem ſuæ Excellentiæ referre, pro vt de facto retulit, Regi nullum præiudicium, nec priuilegijs Burgundiæ, ſed ſumma iniuria Henrico inferri: cumque idem orator acriter accepiſſet à Sanctiſſimo immunitatem Eccleſiaſticam, Sacros Canones, ac Sacroſancta Concilia præcipuè Tridentinum nomine, & authoritate Regis Catholici, & ipſammet Religionem Catholicam à Parlamenti Dolani Conſiliarijs deprimi, ex eo dictus Orator ſtatim vocari fecit agentem præſidis Boyum, cui patefecit clarè, & dixit, vt ſi Rex eſſet adeò inſtructus ſuper rei veritate, vt ipſemet Comes eam cognouerat, tam ex relatione ipſi facta à prędicto Royas ab vtraque parte plenè informato, quam ab ipſo Summo Pontifice, non huiuſmodi peragenda in fauorem præſidis iniuſta, & iniqua quærentis imperaret, neque Apoſtolus rectius loqui poſſet Henrico ſubijcienti ſe iudiciò eiuſdem Oratoris, vel cuiuſuis prelati in Cu-

ria

ria Romana Regis Catholici ſubditi ab ipſo oratore eligendi certiſsimumque eſſe quemlibet prælatum ſic electum, potiùs pro Rege priuilegijs Burgundiæ, quam pro Henrico, Iuſto, & æquo ſententiam laturum, dictoque agenti ſtrictè impoſuit, vt præſidem de ijs omnibus certiorem faceret, quibus præſes reſponſum nullum præſtitit (qui ſuum quærit, Angelos ſibi optat Iudices, qui alienum, nequidem homines vult) nec mirum ſi præſes, qui noluit compromittere in Illuſtriſsimum, & Reuerendiſsimum Dominum Archiepiſcopum Mechlinienſem, cuius integritati, & capacitati prouiſiones beneficiorum illarum partium Rex mirificè confidit, noluerit etiam ſe ſubijcere Iudicio prælati ab ipſo oratore eligendi, euidenti argumento eſt, eum malã fouere cauſam, illi diffidere, & galli inſtar ignaui, victoriam ſuam extra ſterquilinium deſperare.

More tamen galli deuicti ſilere neſciens, tantæ impar gloriæ pergit, quo ſuis ſub alis pullos colligat, filium inquam ſub nomine, & officijquod habet præſidis vmbra defendit, quaſi eò peruenisset authoritatis, vt ipſi velut alteri Pythagoræ dicenti, nemo non aſſentiri debeat, & credere, penſi non habet quicquid in mente venit effutire, vt cumque citra omnem fidem exiſtat, hinc ſpargit paſsim, Sãctam Sedem, omnia, quæ contra Henricum ab ipſo, & Parlamento Dolano geſta fuerunt approbare, atque aſſerere ſententiam latam dirasque contra Marinum fulminata Romæ, nullius eſſe roboris, aut momenti: At enim vero ita vecordem eſſe quemquam hominum, vt credat illos eximia prudentia viros, reuerentiſsimos Sacrorum Canonum, & Pontificiæ authoritatis, ~~hunc verò e primarijs Sanctæ Sedis miniſtris doctrina, & prudentia eximium, Eccleſiaſticæ iuriſdictio-~~

H nis

[illegible] inſignem, Eccleſiæ Eminentiſsimæ purpura, & ſua virtute, [illegible] votis deſtinatum, velle acta eorum qui Sacros Canones ludibrio habent, Romanæ Sedis decreta contemptui, fulmina deridiculo, ſuis calculo, & conſilijs comprobare. Ait Marcum de Valimbert ab excommunicatione plenè abſoluiſſe Marinum, at qui memoria repetet Marcum priùs omni delegata authoritate exutum à Pontifice, quàm ferret ſententiam, & Marinum eximeret á noxa, & pœna, adeo ſtupidus erit vt ijs ipſum exemptum credat; deinde ſubdelegata poteſtas Marco fuit eum tantummodo abſoluendi ad eum ſolum effectum, vt iam dictum eſt, vt poſsit audiri, nón verò vt ab omnibus cenſuris ad alios quoſcumque effectus omninò, & integrè liber eſſet. Aſſerit omnia Romæ acta contra Marinum nulla eſſe, & nullius valoris, ſcilicet ipſe ſuique extra Romanæ iuriſdictionis pomaria collocati, nulli illius decreto, nulli telo peruij ſunt, & velut aquilæ eó ſublati, quó nullo illius fulmine tangantur. At amabo ſi ita eſt, cur tantus vir, qui omnia in Burgundia tam pia, tam Catholica, tàm Romanæ Sedis obſequenti pro arbitrio moderatur, vel pro ea qua eſt authoritate, vel humili præce, vel interuentu Regio Decreta hęc inania, eſſe tela obtuſa, fulmina bruta declarari non procurat? ait ſe Romanæ Sedi eiuſque decretis audientem eſſe, ſi ita eſt, cur minatur, & ſe receſſurum ab eius obedientia, atque effecturum vt tota Burgundia illius imperia aſpernetur, & detrectet, ſi Romana Sedes quidquam in poſterum tentabit contra Marinum. Iactat omnia contra Henricum à Parlamento Dolano, cuius ipſe præſes geſta iuri conſentanea eſſe licita, & honeſta, ſi ita eſt cur ipſum ſcriptis ad Illuſtriſſimum Belgij pronuntium literis eorum pudet, faſſus

acer-

Digitized by Google

acerba, & aſpera eſſe, & ſummi iuris Regij Fiſci miniſtros, eorum reos, ſe autem innocentem, ægrè ferre tantum rigorem, paratumque ad impetrandum illius laxamentum Henrico, dummodo a cæptis Romæ velit deſiſtere? alias dicit debere ipſum, fratremque alijs exẽplo eſſe, ne Sedem Romanam quiuis appellet, eamue iura petat, docetque iiſdem literis pœnas à Parlamento impoſitas non ſe, non ipſummet Parlamentum, ſed Regem ſolummodo condonare poſſe. Si ita eſt, cur ita ſic moderatur vt licita haberi debeant, quæcumque illi allubeſcunt? hunc noxæ addicit, illum eximit pro arbitrio, & pro menſura amicitiæ, qua apud illum valet, vel commodi quod affert, quilibet veniam ab eo, aut cauſæ victoriam ſperare poteſt, vel deſperare: cumque eorum admonetur, reſpondet ita poſcere rem patriæ, populum legibus, leges Regi eſſe ſubiectas, penè dixerat Regem ſibi nam, quod eodem recidit, non veretur ſubiungere, Ducis Burgundiæ vicibus, ſe & comitia fungi, & omnia pro vt illis collibitum fuerit poſſe adminiſtrare. Si ab eo petatur, cur Sacrum Concilium Tridentinum violet? reſpondet, Regem quidem in alijs ſuis prouincijs integrè illud admiſiſſe, in Burgundia verò tantummodò, vt aiunt, in fauorabilibus, ſi interrogetur cur ſacros conculcat Canones? Romanæ Sedis decreta contemnit? reſpondet ita Regem iubere, ſi quæras cur Sacerdotes ob defenſa Eccleſiæ iura præſcribit niſi capitis periculo non redituros, cur religioſos, Eccleſiaſticas, & fidei cauſas ad ſuum, hoc eſt laicum tribunal raptat, Immunitatem Eccleſiaſticam, & iura Eccleſiæ peſſundet, proteratque? reſpondet ita Regem velle, ſcilicet Regem, vt hircum emiſſarium habet; po-

pul, Sacerdotum, Cleri, Pontificijs imprecationibus deuouendum.

Quantó ſatius illi eſſet, ad cor redire? Quæ Dei ſunt Deo reddere quæ Regis Regi, ſua Eccleſiæ iura permittere, libertatem immunitatemque illius intactas relinquere, illibataſque conſeruare Eccleſiaſtici fori viros, Eccleſiaſtico foro concedere, Chriſtos Dei, Sacerdotes, inquam, non tangere, authoritate qua ipſum Maieſtas ornauit ad populi clerique ſalutem, decus Eccleſiæ, & publicam veramque patriæ vtilitatem vti, & non abuti ad exterminium Henrico fratrique illius Iacobo ſua bona, fortunas Sacerdotia, & libertatem iniuſtè ablata reſtituere, & dum tempus eſt Iuſtitiam monente pſalmiſta, diſcere ne ipſe ac Parlamentum Dolanum iterum nominatim in Bulla Cœnæ ſuo loco reponantur, & ne ſeró nimis (quod auertat Deus) vltrici accincta flagello Teſiphone inſultet ei, exprobetque quod iuſtitiam diuoſque, monitus ita contempſerit, vt Eminentiſsimus Cardinalis de la Cueua non fuerit auſus mandatum pontificium ei pluries reiteratum de monendo per literas dictum Præſidem, vt facta emendaret adimplere, alias Sanctam Sedem ad remedia huiuſmodi exceſsibus neceſſaria deuenturam, interim Romæ inter alumnos Collegij Vrbani de Propaganda Fide [illegible] Burgundiones [illegible]ſcribuntur, ac Sanctiſsimus cognitis ex operibus animo, ac religione Præſidis, conniuentia, ac puſillanimitate Archiepiſcopi Biſuntini, non valentis latrare, paterno amore pro ſua prudentia, ac benignitate, cupiens oues errantes ad gregem ſuum leniter reducere, vſque nunc Eminentiſsimorum Cardinalium Congregationis Immunitatis Eccleſiaſticæ decreta ſub die-

bus

bus trigeſima Auguſti, & decimaquarta Decembris
Anni 1649. diſtulerit publicari, etiam quò ad
Breue ad Parlamentum Dolanum cum
inſertione in eo illius Felicis Quin- mem:
ti, Clementis Octaui ad idem
Parlamentum, ſub ſe-
quenti forma ema-
nati.

CLEMENS

Digitized by Google